



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MDLX. ad annum MDCXXIII.

Parisiis, 1644

Concilium Mediolanense VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15522

CONCILIVM MEDIOLANENSE VI.
P R O V I N C I A L E,

ANNO
CHRISTI
1582.

Quod Carolus Borromæus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis tituli sanctæ Prædix, archiepiscopus, habuit anno a Christo nato MDLXXXII. Gregorio XIII. pontifice.

Carolus sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Prædix, Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus sanctæ ecclesiæ Mediolanensis, vniuersis prouinciæ Mediolanensis fidelibus salutem in Domino.

HABVIMVS superiore anno, vt scitis, quintam episcoporum prouinciæ nostræ Synodum, in qua nihil præmittendum curauimus, quod a nobis pro nostro episcopali officio, quo vestrum omnium salutem omni ratione feruire in Domino debemus, esset expectandum. Inter alia autem quæ vestræ spiritualis vtilitatis causâ acta sunt, nonnulla quoque ex instituto sunt decreta, quibus morum, Christianæque disciplinæ restitutionem, iam multis ante annis inchoatam, prosecuti sumus. Pauca sunt illa quidem, sed vestrum est eo diligentius, maiorique sanctæ obedientiæ studio ea amplecti, tenere, vsuque obseruare. Videte clerici, videte fideles omnes, vestrum in iis exequendis officium, quæ sacerdotes pastoresque, vobis gregi suo, vt Apostolus præcipit, attendentes, ad animarum vestrarum salutem præbent. Caueat vnusquisque diligenter, ne, quod ad se attinet, vigiliæ, curæ, & labores, quibus diuina ope sustentati, vestra causâ exercemur, frustra suscepti videantur: quod quidem in die Domini, & probro, & crimini grauissimo illi daretur. Efficite potius prompto animo & voluntate, tum rei ipsius effectu præstando, vt etiam hoc nomine in dies magis ac magis studia nostra excitentur, quibus animarum vestrarum salutem tota mente, omnique caritatis ardore in Christo curandam suscepimus: quod vt consequi possitis, vberimas vobis diuinæ gratiæ opes precamur. Data Mediolani vi. Kalendas Maii 1582.

Indi-

ANNO
CHRISTI
1582.

Indicendi Concilii prouincialis ratio formulaque edito concepta, in prouincia Mediolanensi vsque ad id temporis seruata est, quo primum in Synodo prouinciali quarta, ad vsu[m] decreto reuocatus est vetus ille Canone Toletano olim introductus indictionis synodalis mos, vt quæ scilicet Synodus deinceps futura esset, eius constitutus dies denuntiaretur indicereturque in Synodo, quæ illam ordine sequentem proxime antecederet. Atque hæc quidem ratio Mediolani ad consuetudinem reuocata, ita ex decreto prouinciali adhibita est, vt Concilii prouincialis futuri dies ita in sessione præcedentis Concilii vltima indictus, & in Kalendarium eius anni, in quem illius celebritas caderet, loco suo relatus, de more etiam in basilica metropolitana die epiphaniarum denuntiaretur certis conceptis verbis. Quorum etiam formula grandiusculis literis exarata, duobus mensibus ante constitutum Concilii sexti diem loco edicti ecclesiarum cathedralium valuis affixa est, vt infra:

Concilium prouinciale Mediolanense sextum, per illustrissimum & reuerendissimum dominum dominum archiepiscopum decreto edito & promulgato indictum & conuocatum, hoc anno MDLXXXII. die 10. mensis Maii, Deo auxiliante, in metropolitana ecclesia de more inchoabitur & celebrabitur. Ex cancellaria archiepiscopali, die VI. Martii 1582.

ORATIO CAROLI CARDINALIS

TITVLI SANCTÆ PRÆXEDIS,

ET ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS,

Habita in prouinciali Concilio VI.

DIVINÆ erga nos misericordiæ munere singularique dono, iam Concilium prouinciale sextum, patres sanctissimi, concelebramus. Hæc ipsa Concilii prouincialis vox, nobis, qui ob eam causam duce Spiritu sancto hic adsumus, rem magnam, grauem, in omnes partes maxime vtilem, salutarem prouinciæ rationibus, atque adeo omnis ecclesiasticæ disciplinæ vsui instaurationibusque necessariam significat & plane ostendit.

Concil. Tom. 36.

Vuuu

Hæc quidem actio prouincialis, ab apostolicis vsque temporibus diuinitus instituta, & diuturna ecclesiæ consuetudine in omnes terrarum partes deriuata, sanctionibus pontificiis corroborata, œcumenicis Conciliis communita, olim florentissima fuit. Quo factum est, vt ea iam pridem in omni prouincia fructus tulerit & vberimos & maximos. At vero vbi intermissa vel neglecta fuit, quanta & quam graua damna inde importata sint rei vniuersæ Christianæ, non est cur pluribus explicemus, res ipsa loquitur. Iis autem detrimētis sacra Tridentina Synodus vt tandem occurreret, salutare Conciliorum prouincialium institutum renouauit: quod nos ex illius præscripto cum sæpe numero operante Domino adhibuerimus, aliquos illius fructus experiundo cognouimus. Et vero quorsum sane refertur omnis prouincialium episcoporum Conuentus? annon ad res quæ non modo sunt vtiles, sed quæ longe omnium grauissimæ? Agitur in eo gloria Dei, agitur salus animarum, agitur institutio cleri, agitur disciplina populi, agitur denique spiritualium ægritudinum curatio, nobis qui in apostolorum locum successimus commissa, vt ex euangelio iam modo audiuius.

Est porro curatio hæc multiplex, & late præterea patet. magnum sane negotium ac graue, in vnus tantum animæ (pro cuius salute Christus Dominus sanguinem profudit) curam incumbere; multo grauius, plurimos varie languentes sanare; longe grauissimum prouinciæ vniuersæ amplissimæ & ægrotanti medicamenta opportuna apponere; sed infinitis partibus difficillimum est, morbis qui vnus episcopi studio vix aut ne vix quidem aliquando curari possunt, (cum pene insanabiles sint) remedia adhibere: quæ cura maxime ad prouincialium episcoporum Conuentum, tamquam ad aliquod sapientum medicorum collegium pertinet. At cum omnis pontifex ex hominibus assumptus, & ipse circumdatus sit infirmitate; ægritudinum quoque nostrarum episcopalium curatio, cuius magna ex parte in Synodis prouincialibus ratio habenda est, explicari non omnino potest, quam grauis, quam salutaris item.

Sed est cur iam hoc initio orationis nostræ paucis rem complectamur. In Conuentu episcopali propositum est no-

ANNO
CHRISTI
1581.

bis studium curationis & nostræ & nostri gregis. Cum igitur Concilii huius prouincialis sexti causa hoc sacro loco sumus, vocem illam apostolicam & diuinam, non modo omnes muneris nostri partes significantem, sed nos magnopere mouentem audiamus: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Quare & vnam & alteram item curationem pro officii nostri munere præstemus. Res duæ sunt, quæ nobis in solenni hac actione proponuntur; vna prouinciæ ægrotantis status, altera diligentissima disquisitio salutarium medicamentorum. Atque de his quidem rebus duabus in præsentia aliquid & breui sane dicemus.

Primum igitur, patres reuerendissimi, spectate quæso vna mecum prouinciam vniuersam, quasi publicam hospitalem quamdam domum amplam, in qua multitudo ingens sit hominum grauiter periculoseque ægrotantium. Proponamus hic nobis ob oculos tam infinitos homines ægre affectos, quos Christus Dominus ab apostolis sanari iussit: At eos in prouincia frequentissimos conspiciemus; cum præsertim his temporibus tanta malorum lues in mortaliu viscera sese infuderit. En hydropi laborantes; en febri & phrenesi æstuantem; en dæmonum impetu agitati; en lepra fœda affecti; en paralytici, & permulti claudi; en alii aridi debilesque; en gibbosi plurimi; en muti complures; an lippientium genus; en & cæcorum & surdorum quam infinitus numerus; quam multos alios lethargiæ morbus occupauit? O commiserantium & languentium spectaculum? An hic, patres, dolor noster supra dolorem? an in nobis cor nostrum mœrens? Quæ (malum) ista hydropisis quasi intus in omnium prouinciæ partium cute inhærescens? superbix vitio quam multi turgescunt? quanta inde morborum pestis? quam profusus vestium luxus? quam nouus & inauditus pomparum apparatus? quam varius barbarico opere ornatus? quam innumeralis seruorum grex? quam effusa denique omnium rerum profluuius: quæ tamquam morbus intercus in omnem prouinciæ partem sese longe lateque diffudit? At vero quam late patet alia hydropisis, inexhausta illa pecuniæ sitis, & idolorum seruitus auaritia, & illa malorum omnium radix cupiditas? Ex hoc morbo nefaria

Concil. Tom. 36.

Vuuu ij

quæque existunt. Hinc feneratitii contractus; hinc mendacia periuriaque commercii contrahendis; hinc falsa quæque; hinc adulterinæ & corruptæ merces; hinc doli, fallaciæ, fraudes, & subdola quæque artificia; hinc alienorum bonorum quasi aucupia; hinc iudiciorum iniquitas, iudicum corruptelæ, pupillorum oppressiones, viduarum desolatio, & iniuria denique omnis. Quam perniciofa sitis, quam effrenata istorum cupiditas: qui nullos sibi fines concupiscendi præscribunt; vsque adeo vt alios possessionibus suis, etiam sæpe per iniuriam, pellere manibus pedibusque enixe operam dent. Horreant isti iudicia Dei omnipotentis, voce Isaïæ conquerentis & comminantis: *Væ vobis*, inquit, *qui coniungitis domum domui, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terræ? in auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum, nisi domus multæ desertæ fuerint grandes & pulcræ, absque habitatore.* Horribilis certe est hæc Dei comminatio: at istorum quam ardens, patres, quam effusa cupiditas? En rursus circumfusa vndique alia hominum multitudo febris multiplici & graui ardore æstuantium. Iuuenes, quibus cupiditatum flammis quasi fummis febrium caloribus, & concupiscentiæ igni non exardescunt? deliciis affluunt, oculos habent plenos adulterii; & flagranti isto ardore concitati, bibunt quasi aquam iniquitatem omnem; nihilque non agunt, nihilque non attingunt, nihilque non elaborant, vt male agant: imo male agendo gloriantur; & quæ malefacta non partrarint, illa ipsa quasi a se commissa insolenter vbique iactitant: vsque adeo turpiter agere, sibi gloriosum opinantur. Atque præ isto ardore, furore eo etiam præcipites feruntur, vt cum ne sacrorum quidem locorum rationem aliquando habeant; tum vero sanctum matrimonium, sicut gentes quæ ignorant Deum, ineant atque suscipiant, suæque libidini ita vacent, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus. O rem commiseratione dignam! Febrilis hic furor non modo iuuenes, & adolescentes, sed pueros, & pene infantes his temporibus aliquo modo inuasit. Quam isti petulantes? quam contumaces? quam effrenati? quam proiecta audacia præcipites? quam turbulentis, & domi, & foris? quam impudenti licentia ad nefaria

Isaia 5.

Psal. 31.

ANNO
CHRISTI
1532.

quæque concitati? nolumus plura præ dolore. Sunt plerique alii qui tamquam fanatici homines, Ethnico more, & ioculari quadam licentia satanæ astu introducta, laruis induti furiantur & bacchantur, choreas ducunt, tripudia agunt, spectacula profana edunt; atque in aliis istiusmodi actionibus vsque adeo insaniunt, vt in tanta peccatorum, quæ inde existunt, colluuiione, ne culpam quidem agnoscant. Alii porro non tam phrenesis furore, quam dæmonis æstu agitati, eo præcipites ruunt, vt non modo medicamenta aspernentur, sed medicos & curatores salutis suæ insanabili quodam odio insectentur: & vero (quod detestabile nefandumque facinus est) violentas manus eorum parentibus sacerdotibus, quos venerari & colere totis in Christo visceribus debent, afferant & iniiciant, eosque aliquando truculenter, impie, scelerateque contrucident. At lepra quamplurimi laborant? isti, & malefactis, & flagitiorum impuritate, & vitiorum exemplis, prouinciam fœdissime inficiunt. At vos, patres, quos huic prouinciæ speculatores Dominus dedit, recte cernitis quam exitiosa sit istorum perditissimorum hominum contagio, & quam in omnes partes diffusa. Paralyticorum præterea numerus magnus est: qui præ quadam virtutum torpedine, tamquam in mollitie carnis iacentes, ne desideria quidem recte agendi concipiunt, nedum sanctarum actionum officia exequantur. Sed en claudi alii: isti optime vident, quam valde in Christianarum virtutum disciplina progrediendum sit, non longe tamen vti oportet progrediuntur; imo a recta via, quam semel ingressi sunt, ad vitiorum diuerticula profluunt. Alii aridi sunt, qui manu cum debiles sint, in operibus caritatis defunt, nomineque tantum Christiano gaudent. At gibbosi quamplurimi: qui ad terram proni, humi repentes, non caelestia, sed terrena tantum spectant; & tamquam filii terræ, animo demisso vt pecudes ad pastum, ad crapulas & comestationes abiecti, gulæ, ventri, & ganeis dediti, plane statuerunt oculos declinare in terram; horum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt, vsquequo graui corde? Ista hominum lues prouinciam nostram late inquinat. Est etiam infinitus numerus mutorum: sunt, qui in diuinis laudibus muti, at in maledictis blasphemis di-

*Pfal. 13.**Ierem. 8.*

ris, imprecationibus, conuitiis, detractationibus, contumeliis, lingua celeri & exercitata sunt. O detestabilem hominum pestem! Copulandis dissidentium voluntatibus silentio vtuntur: sed lingua tamquam seditionum flabello abutuntur ad discordias disseminandas. Certe lingua eorum ignis, vniuersitas iniquitatis, & sepulcrum patens est guttur eorum: quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Sed quousque ista hominum lues processit? *Attendi*, inquit Dominus, *auscultauit*, *nemo est qui loquatur bonum*. Lippos alios scitis, imo & cæcos quamplurimos. En spectaculum tenebricosum & horribile. Est quædam huius sæculi cæcitas, qua vt tetra nocte circumfusi homines oculis fidei, cum & sempiternam illam cælestem gloriam, & perpetuos inferni cruciatus, & mortem, & horribilia Dei iudicia proposita habeant, nolunt tamen videre vt bene agant. Permulti item rerum diuinarum atque adeo rudimentorum fidei ignari, veri cæci sunt: qui plane abiecta suæ salutis cura, viam cum ignorent quæ ducit ad vitam, illa imperita cæcitate prolabantur ad sempiternum interitum. Verum plerique alii cæci sunt: qui rerum futurarum, quæ sempiternæ sunt, nihil prospiciunt; res autem præsentis, quæ caducæ, quæ fluxæ, quæ vix ad punctum temporis permanent, cæca quadam auiditate rapiunt. Ecquæ tandem est ista hominum cæcitas, qui res procreatas creatori, res viles & abiectas summo Deo præferunt? At surdi quam infiniti? quam miseranda eorum conditio? Isti in male agendo sunt pertinaci animo, voluntateque obfirmata, Dei vocibus obsurdescunt, pietate non molliuntur, minis non cedunt, precibus non commouentur; mentis sensu hebescentes, pericula salutis non timent; homines non metuunt, & quod grauissimum est, Deum non verentur. Iam cernitis, patres reuerendissimi, aliquam prouinciæ partem ægotam: aliam vero quæ ad clericales ægritudines pertinet, vos etiam optime perspicere potestis. Iam pridem clericali ordini remedia apposuimus, quæ pro temporum ratione opportuna iudicauimus: sed alii morbi sunt, quibus iam clericalis disciplina languescit. Vitæ honestati & morum castitati consulimus, eiusque generis vitiosas aliquas partes sanauimus: ecce alia labes, quæ valde illius ordinis

ANNO
CHRISTI
1582.

dignitatem infecit: in eo inhærescit auaritia: quam ob causam (vt alia silentio præteream, quæ pastoralis animi nostri sensum exeruciant) deserta sæpe statione, in fori solitudinibus illius ordinis homines excubias agunt, lites appetunt, lites intendunt, & frequentes plerique in iudiciis sunt. Clericis studia præscripsimus: alii negligunt, alii clericalium studiorum fines transiliunt: alii studiorum prætextu ab ecclesia absunt, a functionibus ecclesiasticis sese abducunt, & a clericali disciplina refugiunt; alii scientia inflati, præ se alios etiam seniores, quos vereri debent, superbe contemnunt; beneficia ecclesiastica tenuia contumaciter respuunt, ampla præpostere ambiunt. Quam alii clericales morbi, patres, quam alia vulnera recruderunt? quibus potius medeamur oportet, quam enumerando refricemus.

Nihil vero attinet, cur hoc ipso loco ægritudines nostras enarremus, non enim dubitamus, quin vos, quos Dominus constituit sanare infirmos, pro conscientia vestræ religionis, non modo diligenter etiam atque etiam ipsi spirituales nostros omnium morbos videritis; sed medicamenta exquiseritis, quibus apposite curentur. Verum etiam quo rectius omnia nobiscum iterum atque iterum reputemus; illud vnum nobis omnibus persuasum esse volumus, ad ordinis nostri dignitatem auctoritatem muneris non satis esse, si certis quibusdam virtutibus, quibus ceteri homines præditi esse solent, nos exculi sumus; sed harum ipsarum virtutum ornamentis nos longe excellere oportet. In gradu enim episcopali collocati sumus: qui vt aurum ceteris metallis præstat, sic aliis vel amplissimis dignitatibus cum præcellentior sit, tanto perfectioribus virtutibus vsque adeo perlucere debet, vt inde ad alios splendor singularis dimanet. Vitæ innocentia, morum integritas, religionis pietas, iustitiæ cultus, & aliæ eius generis virtutes, sunt quidem nobis communes cum reliquis: sed cum multo præstantiores ex ipsa in nobis singularis vitæ officii splendescere debent; tum vero aliæ sunt, quæ propriæ præcipuæque episcoporum sunt, & cum præstantissima Dei caritate, & ardenti eius zelo in primis coniunctæ: quibus virtutibus exhibeamus nos sicut Dei ministros; iisdemque existimet homo vt

ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Si igitur episcopali perfectione nostras actiones & officia metimur, certe diligentius aliquas etiam ægritudines nostras specularibimur.

Jerem. 8.

Quamobrem cum omnes prouinciæ partes, siue populum, siue clerum, siue nos etiam spectemus, si diligentiori speculatione, quam nos dicendo commonstrauimus, intuebimur, qualem eam aspiciemus? ægotantem, scilicet, & multis adhuc morbi offensionibus perculsam; & ita perculsam, vt reliqua cura opus sit, non mediocri, sed magna. *Proh dolor, quid hoccine est? Numquid resina non est in Galaad? Numquid nulla medicinæ ratio in prouincia, & in prouincia amplissima? Numquid medicus non ibi? Numquid tot & tam sapientes episcopi, optimi animarum curatores, & præcellentes animarum medici? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei? Quam ob causam prouincia sanata non est? Transit messis, finita est aestas, & nos saluati non sumus,* inquit mœrens & deplorans Ieremias. Iam diu abiit tempus, quo sacra Tridentina Synodus salutare sanandis morbis leges tulit; iam pridem etiam tam sæpenumero nos, tamquam medici qui collegiatim de curandis corporibus consultationem incunt, huc ad Concilium conuenimus, ac prouincia nobis in curam tradita nondum salutariter curata est: imo adhuc pene attrita, pene perculsa iacet? *Super contritione filiæ populi mei contritus sum & contristatus, stupor obtinuit me.* Exagitate vna mecum quæso patres, dolorem vestrum; intimeque accensi, afferte remedia & opportuna & salutaria, quæ prouinciæ ægotæ adhibeamus. *Tempus est medelæ,* inquit propheta: vos statum prouinciæ ægotantis videtis: tempus medendi est, tempus Concilii. Non est igitur cur a proposito, illis quæ vulgo disseminari solent vocibus dimoueamur: Quorsum tot synodalia remedia? quorsum tandem tam multæ medicamentorum synodalia leges? næ istæ plane vulgares voces sunt, & dignæ plane quibus nos episcopi constantissimo mentis episcopalis studio obsurdescamus. Aliud enim nos Spiritus sancti doctrina docet, aliud apostolorum instituta monent, aliud patrum exempla declarant, aliud Canonum leges iubent, aliud vetus ecclesiæ vsus in omnes partes utilis postulat, aliud Tridentinæ san-
ctiones

Ibidem.

ANNO
CHRISTI
1582.

ctiones nuper instituunt, aliud nos in hac prouincia iam diu ad consuetudinem reuocauimus. Quid? aliter muneris nostri episcopalis religio deposcit. Quam inanes & pene nefaria? eamque ob causam summa animi nostri episcopalis consensione, vna conspiratione, vno spiritu explodantur illæ voces hominum, qui populum nostrum decipiunt; *Dicentes, Pax, & non est pax*: quam imperite hoc Jerem. 6. iactitant? quam iniquo etiam animo sunt, qui curant contritionem filia? populi mei cum ignominia dicentes: *Pax, & non est pax?* Ibidem. An vbi malorum lues; pacis, concordia, & bonorum status? an vbi varia morborum species, recta valetudo? an vbi adhuc morum corruptelæ, disciplina Christianæ perfectio? Attendite, quæso, qui isti homines sunt, cum talia dicunt: *Liniunt parietem luto absque paleis, absque temperatura: & vident visionem pacis, & non est pax.* Cernunt isti in superioribus nostris Conciliis vmbra? quamdam disciplinæ, qua populum informare studuimus; at eius imago nondum omnibus partibus absoluta; imo cum imperfecta est, tum neque vndique etiam communita, eamque ob causam verendum nobis est, ne illo tamquam paries male materiatus, luto tantum absque paleis illitus corruat. Longe absint a nobis voces istorum, *qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.* Ezech. 13. Næ isti his adulationum vocibus vocumque blanditiis cum nos fallere student, tum istis etiam illecebris populos nostros decipiunt: *dicunt enim bonum malum, & malum bonum.* Isa. 5. O popule meus, quis poterit omnia mala, quæ te vndique premunt, enumerando percensere? audent tamen isti a salutis via te adulationibus longius abducere. *Popule meus, qui te in tanta malorum colluione beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.*

Proposuimus iam vobis ante oculos, patres, quamdam pene necessitatem sanandæ prouinciæ. Disquiramus igitur oportet in hoc ipso Concilio sexto salutare curationes, salutaria medicamenta, & præsentia remedia. Quo in officio disquisitionis, euangelium, quod nuper audiuimus, nos valde instituit, cum curationis munus apostolis Christus Dominus commisit his verbis: *Nihil tuleritis in* Luc. 9.

via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Quorsum hæc leges? quid ostendunt? quid loquuntur? quid præscribunt? rerum certe humanarum despicientiam, terrenarum curarum abiectionem, vitæ huius contemptum, animi abalienationem ab iis quæ nostra sunt, & illam a nostris, quos cognationis vinculo natura coniunxit, quamdam quasi seijunctionem, atque alias istiusmodi virtutes, quæ in apostolis eluxerunt; Atque iis quidem hoc etiam vnum adiungendum est, quod in curatione spirituali plurimum valet, vt ne mundi prudentiæ neque nostræ innitatur. Prudentia carnis mors est, prudentia mundi cæca & fallax: at prudentia spiritus, vita & pax. Quæ Christi sunt, Christi spiritu agamus: ab illo pendeamus, non vulgi iudicio, non populari plausu, non priuatis rationibus curæ nostræ partes commetiamur. Hoc sane est apostolos, quos misit Deus infirmos sanare, salutariter imitari; hoc plane euangelii leges seruare, hoc ipsum gerere, est salutare curationes adhibere. Illis virtutibus communiti, voluntatem etiam instaurandæ prouinciæ ardore quodam inflammatam & paratam adhibeamus. Parauit cor suum vt inuestigaret legem, sacris literis proditum est: alio loco; Elegit sacerdotes habentes voluntatem in lege: eo animo cordisque desiderio ad prouinciæ curationem accensi, imitemur duos grauissimos viros Iosiam & Esdram. Hic instaurandæ disciplinæ studio exardescens, librum legis, quem manu sumpsit, aliquot diebus distincte legit, quater diu & totidem noctu, populumque ad illius executionem mirabiliter excitauit. Iosias itidem quo posset accuratius omnia legis instituta vitæ suæ moribus exprimere, librum legis perpetuo in manu habere, & singula expendere iubetur: Non recedat, inquit Deus, volumen legis huius; & quoniam lectionis studium parum vtile est, nisi animi commendatio accedat, ea verba adiunguntur: & meditaberis in eo diebus & noctibus; nempe tanta assiduitate, quæ omnem prorsus negligentiam excludat. Cum autem hæc ipsa animi voluntas & meditationis studium parum quoque profit, nisi quæ legibus instituta sunt, ad executionis vsum inducantur; sequuntur illa verba: Vt custodias & facias omnia. Hoc præclaro exemplo nos optimo iure eam ratio-

1. Esd. 7.

1. Mach. 4.

Iosue 1.

ANNO
CHRISTI
1582.

ANNO
CHRISTI
1581.

nem nobis ineundam censemus, vt decretorum quæ superioribus primis Conciliis confecimus libros, in hac sexti prouincialis Concilii actione nunquam de manibus deponamus: ad quorum præscriptum ordinem (id quod in omni Synodo moris olim fuit) officii nostri partes diligentissime perscrutemur; quas executi sumus; quæcumque illæ sint, vel de nobis ipsis, vel de clero, vel de populo, vel de ecclesiis, vel alia quauis de re constitutæ. Hic recrudescit vulnus doloris nostri: hic morbus grauis lethargia laborantium: hic desidia pene omnium: hic dormitatione quadam hebescimus & tabescimus: hic nos etiam pastores & medici congelascimus: hic nos, qui alios e somno excitare debemus, sopore quodam torpescimus. Vbinam decretorum quæ confecimus cumulata executio? vbi morum corruptelæ ereptæ? vbi peccatorum publicorum semina conuulsa; vbi vitiorum publica exempla sublata? vbi disciplina publica introducta? vbi iuuenum petulantia emendata? vbi tabernis meritoriis, & malorum quasi officinis finis præscriptus? vbi ludis publicis, ac lenociniis remedia adhibita? vbi prostibula amota? vbi popularis concursus ad spectacula publice abrogatus? vbi antiquata spectacula? vbi bacchantium Christianorum hominum fœda illa licentia repressa? vbi peccatorum colluioni modus præfinitus? Quid multis? lethargiæ morbus vbique in prouincia est: lethargia omnes languescimus, rebusque exequendis omnes dormitamus. At dicet quis: Huiusce executionis atque adeo curationis opus multis partibus difficile esse fatemur omnes, & agnoscimus: Nec vero est, cur hoc loco difficultates, multas illas quidem ac summas, summisque angustiis implicitas proponamus, in quas curæ nostræ munus incurrit. At nos contra quærimus; num viribus nostris, an ope Dei tam graue onus sustineamus: si viribus nostris; profitemur plane impar omnino esse humeris nostris: si Dei ope nitimur, non est cur illius magnitudine frangamur ac debilemur. *Qui sperant in Domino, inquit Isaias, mutabunt fortitudinem: assument pennas sicut aquilæ: current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Atqui ad omnem in curanda prouincia dimicationem vocamur, fortitudinem episcopalem induamur; & confortati manu Dei excelsi, ministerium nostrum impleamus.

2 Tim. 4.

Ibidem.

Ezech. 33.

Quam præclare Timotheum discipulum & episcopum Paulus apostolus ad omnem episcopalem constantiam instituit his verbis? *Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus: & a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Quid hic apostolus episcopo iubet? an vt taceat? an vt dissimulet? an vt ne resistat? an vt ab episcopali contentione desistat? an vt ab opere suscepto cesset? an vt dormitet? imo in omnes partes eum etiam atque etiam excitat. *Tu vero, inquit, vigila, in omnibus labora, opus fac euangelistæ, ministerium tuum imple.* An vero fortasse ac curatione nostra deterremur, quia hoc nostro frequenti prouinciæ sanandæ studio exulcerantur animi quorundam passim dictantium: Non ferunt hæc tempora veterum Canonum & antiquæ disciplinæ medicamenta. Imo ardentius progrediamur: quoniam hæc vna medicina præstantissima est, maximeque opportunum id remedium, vt quibus olim rationibus disciplina Christiana sata & propagata fuit, iisdem ipsis & instauretur & conseruetur. Iam vero demum, patres sanctissimi, vos optime nostis, quam præstanti erga Deum caritate nos accensi, quam cælestibus pene virtutibus nos instructi, quam inflammato voluntatis desiderio nos flagrantés, quam constanti episcopali fortitudine nos muniti ad prouinciam varie languescentem non modo accedamus, sed ita progrediamur oportet, vt aditum omnem nobis aperiamus, cum ad ea quæ decreta sunt accurate præstanda, tum ad illa, si quæ defunt, quam rectissime supplenda. Sed instat, vrget, & magnopere nos etiam impellit graue periculum animarum nostrarum. Huius prouinciæ salus nobis commissa est: si culpa nostra aliquis morbo languescens perit, vix nobis. Vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis anima illorum requiretur, inquit Spiritus sanctus. Quæ nos spondimus, & quam sancte & quam religiose spondimus, pro grege nobis commisso, pro eius curatione, pro eius salute, vos recte nostis: religiose adstricti sumus, conceptis verbis multas curæ pastoralis partes earumque executionem promisimus: spondimus pro grege, deuincti sumus verbis oris nostri, capti propriis sermonibus curationis promissæ & susceptæ, fidem præstemus.

ANNO
CHRISTI
1582.

Fili spondisti, vt digito Dei scriptum est, illaqueatus es ver-
bis oris tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum: ne dederis som-
num oculis tuis: nec dormitent palpebra tuae. Prov. 6.

Sed vos ipsi videtis summam vigilantiam, quam sanctis sponsonibus debemus. Ad accensam autem voluntatis nostrae studium atque officium, nos etiam inflammet desiderium gregis. Proponamus nobis hic ob oculos probaticam illam piscinam, amplam, porticus quinque habentem; & in iis iterum ex hac prouinciali specula prospiciamus multitudinem magnam languentium, caecorum, claudorum, expectantium aquae motum. Hi omnes (intuemini quaeſo prouinciam omnem aegrotam) expectant motum aquae, agitationem consultationum nostrarum, actionemque salutarem nostrarum deliberationum: ac iam denique exardescentem pastoralis studio animum nostrum etiam atque etiam excitet filiorum nostrorum clamor, quem audire videor in ea verba prorumpentem, quibus olim populus Hebraeus Esdrae opem implorans: *Confortare & fac, tuum est discernere.* 1. Esdr. 10. Nos, inquit, salutaribus curationibus opus habemus: vestrum est aegritudines nostras disquirere, appositeque curare: curate quaeſumus, animoque magno sanare pergitte. Vos o filii carissimi, consolamini, consolamini; erige spem tuam prouincia Mediolanensis. Patres isti venerunt tibi, vt morbos & vulnera tua sanent. *Leua popule meus in*
circuitu oculos tuos & vide: isti congregati venerunt tibi. Isa. 60. Quorsum enim tot tantique labores, quos & saepenumero antea & hoc tempore causa tua susceperunt, spectant, nisi vt salutis fructum ipse reportes vberrimum. Tu exurge igitur, exurge, excita te ad orationis studium, ad pietatis opera; quibus implorata diuina ope, parentum tuorum perennis haec sollicitudo adiuuetur in perpetuum. Amen.

CONSTITVTIONES ET DECRETA
PROVINCIALIS SYNODI MEDIOLANENSIS VI.

ANNO
CHRISTI
1582.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Nos Carolus sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sanctæ Praxedis presbyter cardinalis, Dei & sedis apostolicæ gratia archiepiscopus Mediolani, ad Dei omnipotentis, beatæque Mariæ semper virginis, ac sancti Ambrosii confessoris, & beatorum martyrum Protasii & Geruasii, patronorum nostrorum laudem, hæc pro Christianæ morum disciplinæ conformatione, qua clerum populumque fidei nostræ concreditum præluere totis in Christo visceribus expetimus, de consilio & assensu reuerendissimorum dominorum coepiscoporum nostrorum in Concilio prouinciali Mediolanensi sexto decernimus, statuimus, ac sancimus.

Quæ ad fidem tuendam pertinent.

DE commercio hæreticorum quam diligentissime cauendo, nos pro nostri officii munere superioribus Conciliis decreta aliqua confecimus, atque edidimus: quibus etiam ex sanctissimi domini nostri Gregorii papæ XIII. iussione & præscripto, hæc, quo diligentior porro cautio in genere adhibeatur, adiungenda censuimus.

Optandum est, omnique pastoralis studio atque officio id valde curandum, vt quem hæresis labe infectum esse constet, nemini vnquam, quicumque sit, impune permittatur ex hæreticorum eorum nomine suspectorum finibus ac regionibus finitimis ad prouinciæ huius loca venire: verum si quandoque aliter acciderit, vbi ei rei alia ratione occurri non possit, hæc saltem caueantur atque plane seruentur:

Ne cuiquam, quem ex iis locis proficiscentem hæreticum esse certum sit, hospitium diuersoriumve præberet, præterquam in caupona publica, vel in domicilio sui procuratoris, si quem fortasse ipse habet.

Is vero qui præbuerit, illius aduentum habitationemque episcopo, inquisitorive, aut parocho, si in diocesi venerit, confestim denuntiet. At ecclesiasticus homo, quicumque sit, ne eum vilo modo excipiat.

ANNO
 CHRISTI
 1582.

Neque rursus illum in ecclesia ingredi permissum sit,
 nisi sacrae concionis tempore.

Nemini ad hæreticorum fines, locave, ne discendæ etiam mercaturæ causa, mittere filios liceat, qui annum saltem vigesimumquintum non agant.

Ne cuiquam item, vt alio Concilio cautum est, ad hæreticorum loca proficisci liceat, nisi primum ab episcopo aut inquisitore eius rei facultatem impetrarit.

Atque hæc quidem facultas ne cuiquam permittatur deturve, nisi a parrocho testimonium scriptum attulerit, se more catholico vixisse, sanctaque sacramenta frequentasse, hac præterea adiecta conditione, vt si cui facultas permittatur diutius illic commorandi, is quotannis semel saltem inde redeat, vt & confiteatur, & sanctissimam eucharistiam sumat; aut testimonii literas mittat, quibus legitime testatum fiat, se confessum constituto tempore sacram eucharistiam sumpsisse, catholicæque fidei congruenter vixisse.

Qui vero prope hæreticorum loca habitant, iis a parrocho eam facultatem dari licebit ad breue sane tempus: ita tamen, vt cum iis exiguum illud breuis moræ spatium certum proficiscenti præscribat; tum illam præterea conditionem, ne die festo illic opus faciat, nec vero mercaturam villo modo exerceat, aliave agat quæ sacro festo die agi, fieri, exercerive prohibitum est. Imo festo eo saltem die domum omnino redeat, & Missæ, vesperis, doctrinæque Christianæ scholis intersit.

Nec vero cuiquam fas sit, patrimonium, bonaque sua vendere, alienareve, vt in hæreticorum loca migret, ibique domicilium constituat.

Si quis in huius rei suspensionem venerit, contra eum agatur ad Canonum pontificiarumque sanctionum præscriptum.

Bibliopolæ, quique impressoriam faciunt, ne quam agredi volunt artem prius exerceant, quam iurati, fidei professionem episcopo conceptis formulæ statuta pontificiæ verbis præstiterint.

Ne liber vel exiguus, quamuis superiorum concessu alias sæpe editus, sine facultate iterum impetrata typis in vulgus emittatur, imprimaturve.

Moris olim fuit, vitandæ gloriæ ostentationisve causâ, libros aliquando alterius nomine etiam assimulato euulgari; sed quoniam hæc tempora, quibus impressoria editione aditus esse potest ad nefaria quæque profeminanda, diligentiore cautionem requirunt; interdictum esse volumus, mentito fictove alterius auctoris nomine, libros, volumina, literas, scriptave cuiusvis generis argumentive, de quibus in indice seu Concilio Tridentino cauetur, euulgari, edi, typisve imprimi, nisi consensu illius cuius nomine edentur, & episcopi permisso. Alioquin in delinquentem animaduertatur pro grauitate criminis arbitrio eiusdem episcopi.

Grauis illa sanctio, qua summus pontifex Gregorius XIII. Iudæorum blasphemis & flagitiis obuiam ire voluit, in omni nostra prouincia, præsertim vbi Iudæos habitare permillum est, quotannis non semel atque iterum, sed etiam sæpenumero, prout episcopus opus esse censuerit, de more promulgetur. Atque ob eam causam Concilio huic sexto in fine illam adiungi statuimus.

Quæ ad concionatorem pertinent.

CONCIONATOR in vrbe ne sine scripta episcopali facultate pecuniæ collectam inter concionandum proponat, faciatve; neque itidem in diœcesi, sine vicarii foranei licentia. Liceat tamen concionatoribus regularibus in eorum ecclesiis, absque facultate illis tradita ab episcopo siue eius vicario, sua monasteria populo commendare.

Nec vero eleemosynæ causâ concionatori seipsum commendare liceat: ab aliis tamen piis honestisque hominibus eius causâ de episcopi licentia conquiri & colligi vetitum non fit.

Ne in monasteriis quidem, & locis vbi regulares spirituales temporalemque iurisdictionem habent, quicumque ecclesiasticus homo etiam regularis exemptus prædicationis munus obeat, nisi primum ab episcopo probatus, intra cuius diœcesis fines ea monasteria locave sunt. Regulares vero a suis superioribus approbati, ac de eorum licentia in ecclesiis suorum ordinum prædicaturi, antequam prædicare incipiant, coram episcopo
perfo-

ANNO
 CHRISTI
 1582.

personaliter cum ipsa licentia se presentent, ab eo benedictionem accepturi, sine qua benedictione, aut episcopo contradicente, predicare non presumant. Si quis contra fecerit, ei poenae & censurae constitutae sint contra alios sancitae.

De cultu sanctorum.

AEQVISSIMUM est, cum rationeque pietatis coniunctum, sanctorum patronorum vniuscuiusque ciuitatis prouinciae huius sacris imaginibus ecclesiam metropolitanam splendescere, cum eorum etiam intercessionem patrociniumve ibi diuinis officiis & litanis implorari moris sit. Quamobrem id cum in primis ad religionis cultum, tum ad eiusdem ecclesiae ornatum splendoremve praestetur.

Ne sine episcopi concessu facultateve literis consignata, extra dioecesim sacras reliquias asportari, nec vero quae etiam aliunde allatae sunt, intra dioecesis quoque fines ab vna ecclesia eiusve rectore, etiam de consensu capituli, alteri ecclesiae donari, minus vero cuiquam ecclesiastico aut laico homini earum particulam aliquam priuatim concedi, tradi, donarive liceat, proposita excommunicationis poena, quam subeat, tum is qui dederit concesseritve, tum ille, qui acceperit, vel asportarit, etiam ecclesiae suae nomine. Idque omne quod de reliquiis neque dandis neque transferendis hoc decreto aliis praecipitum est, vt regulares etiam atque exempti seruent, eos in Domino monemus.

De diebus festis.

DEI munere beneficioque cum ecclesia Mediolanensis praedicatione sanctissimi apostoli Barnabae primum fidei mysteriis imbuta, tum aliae pleraeque huius prouinciae ciuitates euangelii lumine illustratae, causam omnem festi illius diei praecipue colendi habent. Quamobrem dies eius natalis, qui est 3. Idus Iunii, vt de more aliorum dierum festorum, qui a clero populoque ex praecipito coluntur, pie & religiose sanctificetur, episcopus curet, vbi in sua dioecesi non colatur, sanctificeturve.

Quo religiosius in vnaquaque vicinia tam vrbs quam dioecesis dies festi colantur & sanctificentur, episcopus certum librum constituat, in quem a cancellario, cum om-

nes singulique dies festi parochiales, aliive, qui vbiq; in vicinia aliqua vel vrbs, vel diœcesis vniuerse sigillatimve aguntur, tum reliqui etiam dies recte atque ordine referantur, quibus indulgentiæ, iubilei, aliufve celebritatis causa ad ecclesias concursus esse solet. Quo libro deprauati præterea mores, abususve notentur, si qui illis celebritatibus esse in iis ipsis viciniis solent. Atque iis quidem diebus exscribendis, episcopus ad cognitionem certam parochos singulos adhibeat; quorum etiam officium sit, si quæ noua in dies indulgentia ecclesiis suis accesserit, si quæve alia celebritas causave denuo inciderit, quamobrem populi concursus in parochiali vicinia ad aliquam ecclesiam fiat, de ea episcopum certiore facere, vt illa quæcumque sit, in eundem librum referatur.

Porro eum ipsum librum accurate exscriptum, notatis mensibus & diebus, quibus præcipue illæ celebritates singulis in viciniis locisve aguntur, episcopus ad se in singulos menses afferri iubeat, vt cum vniuscuiusque regionis, atque adeo pagi locive celebritatem certo die agi perspexerit, de illius sanctificatione cultuque literas etiam pastorales opportune scribat, tum aliam præterea omnem diligentiam eo nomine adhibeat. Et vero iis literis officii sui populus clerusque monitus, vsque adeo parochorum studiis etiam adiuuetur, vt & vitæ sancti, quem præcipua veneratione colit, exempla ad imitandum, & episcopi monita paterna, & decreta quoque prouincialia diœcesanaque eo de genere ad exequendum sibi plane proponat; sicque a morum corruptelis, quas praua consuetudo introduxit, in festorum dierum sanctificatione abstineat.

Si quando dies festus sancti sanctæve, cuius celebritas clero populoque colitur, in diem vigiliæ ieiuniique incidit, quod ex præcepto ecclesiæ seruetur; ne fideles ob festi diei solennitatem quam agunt (id quod a plerisque committi ad nos delatum est) ieiunium vlllo modo violent, sed vt instituti ratio, ecclesiæque magis præceptio postulat, recte pieque colant.

Quare episcopus, si quid istiusmodi in sua diœcesi patrari committive animaduernerit; huic graui peccato & offensionem, omni pastoralis officii sui ratione occurrere quam diligentissime studeat.

De indulgentiis orationis causa concessis.

ANNO
CHRISTI
1582.

Quo vberiores ex orationis instituto fructus existunt, eo sapius ad illius exercitationem fideles cohortandi sunt. Officium igitur parochi sit, quo magis illos proposito spiritali dono alliciat, crebro, cum occasio tulerit, indulgentiam euulgare eis concessam, qui orationi quadraginta horarum ordinariæ aut extraordinariæ episcopi iussu expositæ vacauerint.

Hoc officium vt is præstet, indulgentiæ literas vna cum hoc Concilio in fine edi volumus.

Idem præstet de indulgentia iis data, qui in oratione, qua dicitur sine intermissione, versabuntur.

Idque ex literis pontificiis, infra huius Concilii vltima parte eo nomine editis.

Idipsum præterea sæpenumero agat de indulgentia fidelibus data, qui vbi vbi fuerint, in eleuatione corporis Domini orauerint.

Cuius etiam indulgentiæ literarum monumenta infra eo nomine impressa sunt.

De parochis & parochiis.

DE cura parochi ægrotanti præstanda in iis quæ ad salutem animæ pertinent, iam pridem in altero Concilio prouinciali constitutum est.

Et quoniam caritatis officium est, rationem etiam habere curationis corporis; hoc decreto itidem statuimus, vt cum parochiæ alicuius sacerdos in febrim morbumve inciderit (si præsertim suorum neminem habet, cuius opera adiumentove subleuetur) propinquior parochus nullum a se officium desiderari patiatur, quod ad eius valetudinem recte curandam necessarium fuerit.

Atque in primis vicarium foraneum, si parochus ægrotus in diocesi est; si in vrbe, episcopum de eius ægrotatione certiores faciat.

Quibus locis ex Concilii Tridentini præscripto parochias nouas institui erigive liceat; episcopus etiam in parochiis, quæ regularium quouis modo sunt, illas constituat, certa fructuum portione attributa ad præscriptum constitutionis Pii V. pontificis.

Et Canonum ratio & disciplina ecclesiastica id maxime postulat, vt ad ecclesiam parochialem fideles quam-

frequentissime conueniant: id quod ab episcopis accurate eos moneri œcumenica Synodus Tridentina pie salutariterque decreuit. ANNO
CHRISTI
1581.

Eius decreti auctoritate, vt pro eo quod debemus, plane obtemperemus, in vsumque prouinciæ nostræ inducamus, quod bene agendi rationibus vsuique optime consultum esse animaduertimus; literas monitionis eo de genere infra explicatas hoc prouinciali Concilio VI. edimus, quas in omni parochiali totius prouinciæ nostræ ecclesia certis festis diebus, quos pro suæ diœcesis ratione episcopus præstituerit, de more promulgari decernimus: quo diligentius parochiales admoniti, cum officii religiosi partes facile intellexerint, quas suæ quique ecclesiæ parochiali debent, incitata quadam voluntatis propensione exequantur, quod de sacrosancti illius Concilii sententia eos salutariter & quam sæpissime monitos esse volumus.

Id vero non hac nostra solum prouinciali cohortatione monitioneque contenti, prouinciæ nostræ episcopi præstandum curent; sed omni alia præcipua pastoralis curæ ratione, quam eius rei vsui accommodatiorem potioreque esse censuerint.

Porro monitionis huius nostræ literas, quo facilius planiusque populus intelligat, indeque partes officii sui non solum cognoscat, sed recte exequatur; eas in vulgarem etiam sermonem totas de verbo ad verbum conuerti, vel summatim vulgariter explicari, & ita fidelibus enuntari iidem curent, prout diœcesis suæ rationibus magis expedire viderint.

Fuit olim tanti apud antiquos patres ille frequens ad ecclesiam propriam parochialem fidelium conuentus; vt ad hanc disciplinam populi Christiani institutioni valde accommodatam retinendam, certis decretis cautio aliqua adhibita sit.

Primo enim hoc iussum est, vt dominicis festisque diebus parochi, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, an alterius parochiæ fidelis adfit, qui proprio contempto presbytero ibi Missam audire velit; quem si inuenerint, statim inde eiiciant, & in parochialem suam ecclesiam ad Missam audiendam redire compellant.

ANNO
CHRISTI
1582.

Deinde illud plane vetitum fuit, alienæ parochiæ fidelem a parocho ad Missam non recipi, nisi in itinere fuerit, & placitum ibi habuerit.

Cuius veteris disciplinæ restituendæ, in vsûmque reuocandæ desiderio flagrans olim summus pontifex Urbanus VI. eo de genere apostolica sanctione diligentissime cauit; & nuper sacra Tridentina Synodus œcumenica ab episcopis fideles non solum hoc moneri voluit, vt frequenter ad proprias parochiales ecclesias saltem dominicis diebus festisque maioribus accedant; sed illud etiam diligenter ostendit, vnumquemque teneri, vbi commode fieri potest, parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei; ac proinde id præterea statuit, a parochis animarumve curatoribus inter Missarum solennia aliquid ex iis quæ in Missa leguntur, exponi, & sanctissimi illius sacrificii mysterium aliquod explanari; plebes sibi commissas salutaribus verbis pasci, easdemque doceri, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; in lege Domini erudiri, & sacra eloquia illis explanari; tum in vnaquaque ecclesia parochiali pueros fidei rudimentis instrui.

His igitur eiusdem Tridentinæ Synodi decretis, & veteri salutarique exemplo adducti, cum populum vrbis, diocesis, prouinciæque Mediolanensis nostræ, rebus ad salutem necessariis instructum, per bona opera ad præmium sempiternum perducere summopere in Domino cupiamus, hac nostra monitione eos vniuersos & singulos cohortamur, ac per viscera misericordiæ Iesu Christi obsecramus atque obtestamur; vt quamuis in suis viciniis, opidis, & suburbiis, oratoria, capellas, aliasve ecclesias habeant, vbi sanctissimo Missæ sacrificio interesse possint; frequenter tamen dominicis saltem aliisque sollemnibus festis diebus ad suam quique parochialem ecclesiam conueniant: vbi a parocho, cui cura commissa est, verbo Dei pascantur, fidei Christianæ rudimentis, aliisque animarum salutis necessariis præceptis erudiantur, ad sanctissima sacramenta religiosius percipienda instruantur, ad eorumdemque frequentem vsûm, vt illa sacra Synodus optat, paternis eius cohortationibus in dies magis inflammentur: tum ab eodem item audiant qui dies festi, si qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ vigiliæ ieiunia ve seruanda sint: discant ab ipso

item, quæ Christianæ pietatis officia in illis religiose colendis præstari oporteat; ac quæ præterea supplicationes, processionesve, aut stationes, orationes, indulgentiæ, iubilea indicantur; quæ matrimoniorum denuntiationes fiant; quæ item, pro ratione temporum, admonitu iussuue episcopali ad diligentiores eorum institutionem promulgentur.

His atque adeo aliis fructibus, qui ex paternis parochi vel in cohortando vel in monendo officiis existunt, eos carere continget, qui ad Missam iis diebus in suam parochialem ecclesiam non conueniunt.

Imo vero quod hoc audiendæ illis diebus Missæ parochialis munus a fidelibus minus diligenter præstatur, & a quibusdam plane negligitur, multa incommoda inde existunt.

Hinc in plerisque sæpe fidei articulorum, & Dei, sanctæque matris ecclesiæ præceptorum, quæ ad salutem consequendam Christianum hominem nosse oportet, imperitia; festorum dierum cultus neglectus, debita Christianæ pietatis opera non exulta, non cognita Christiana familiarum institutio, languescens sacerdotum parochorum omne officium, eorum aliquis contemptus; sanctissimorum institutorum, & sacrorum Canonum violatus usus; hinc denique ecclesiis parochialibus, quæ a maioribus tanto pietatis studio exædificatæ sunt, instaurandis, ornandis, fartis tectisque habendis cura multis ex partibus neglecta, in illisque nulla aut pene exigua ecclesiastica ad diuina officia obeunda necessaria supellex.

His tot tantisque malis atque incommodis vnusquisque occurrere studeat, id diligenter exequendo, quod sanctorum patrum suadet auctoritas, quod Tridentina Synodus moneri iubet, quod ex illius iussu nos de vniuscuiusque vestrum salute solliciti, paternis vocibus cohortamur & monemus in Domino.

Nec vero quemquam aliquod, quod vel ex parochialis ecclesiæ aliqua distantia, vel ex pluuiâ, frigore, æstu, temporumve vicissitudine existit incommodum, ab hoc officio deterreat: imo vero ad illud diligentius exequendum, prout in Domino confidimus, se quisque eorum accendat necesse est; qui salutis suæ memores, huius rei grauitatem,

ANNO
 CHRISTI
 1582.

eorum quæ commemorata sunt ratione perpendent, quique aliquando secum animo reputabunt, non solum parochialem ecclesiam sibi datam esse, in qua primum baptismo suscepto Christo Domino renati, aliis sacramentis aluntur ad perpetuam salutem; sed parochum etiam sacerdotem sibi loco parentis esse debere, quem diligant, colant, atque obseruent; hoc sibi proponentes, illum pro fidelibus sibi commissis apud Deum internuntium ac deprecatorem esse, diuinæ legis interpretem, dispensatorem mysteriorum Dei, Christianæ vitæ & morum disciplinæ magistrum, a quo omne petant pie recteque agendi consilium, ac denique ministrum omnium fere, quæ ad salutem eis necessaria sunt.

Huic autem nostræ monitioni, etsi omnes pro præcipua suæ salutis cura audientes esse debent; in primis tamen patresfamilias, tutores, curatores, ludimagistros, ceterosque aliorum moderationi curationive præfectos cohortamur, diuinaque contestatione admonemus, vt de sua, & aliorum quorum curam gerunt, salute solliciti, primum ipsi hæc paterna monita amplectantur, tum illos etiam crebris cohortationibus ad illa exequenda inflamment; idque curent, vt non solum Missæ & diuinorum officiorum tempore illi in parochialem ecclesiam conueniant; verum etiam vt institutas in ea doctrinæ Christianæ scholas statis illis diebus frequentent.

Cum ecclesiæ alicuius parochialis eiusque rectoris necessitati episcopus primitiarum decimarumque assignatione, aut parochialium symbolis collectisve prouidendum esse ex decreto Tridentino censuerit; ad id præstandum illos ex eiusdem Tridentini & prouincialis decreti præscripto compellat, propositis arbitrato suo pœnis, & censuris, atque etiam interdicto generali, præsertim vbi ipsi parochiales id præstare promiserint sponponderintve.

Quo instructiores in suis officiis parochi sint, ob eamque rem diligentiores, cura metropolitani sit; vt quemadmodum Canone Toletano præscribitur, officiorum parochialium liber conficiatur atque emittatur ad communem parochorum prouincialium usum.

De sacramentalibus.

NE quis episcopo inferior, vestes, indumenta, vasave

ad Missæ sacrificium diuinorumque officiorum cultum, aut ad altaris ornatum parata, sine sedis apostolicæ facultate benedicat; nisi si alicui de iure talia benedicendi facultas competeret.

ANNO
CHRISTI
1552.

Quæ autem ab episcopo, aliove auctoritatem habente benedicta non sunt, vt alio Concilio cautum est, stata solenni prece benedicantur.

Sacra prece ex formula libri pontificalis tabernaculum, etiam ligneum, in quo sanctissima eucharistia recondatur, ante benedicatur, quam ad illius recondendæ vsum adhibeatur.

AQUÆ benedictæ, qua vel sabbato sancto, vel in vigilia sacra diei natalis Domini, vel alio tempore pro locorum consuetudine, ædes parochialium hominum aspergi solent, aspergio cum plena mysteriorum est, tum propria parochorum.

Quamobrem stato tempore ne alius sacerdos quam proprius parochus illas aspergat, aliusve ab eo constitutus; neve item sabbato sancto ante ille aspergat, quam benedictio solennis fontium celebrata sit.

Aspergendo autem precibus rite vtatur parochus ad præscriptum libri ritualis.

Illud autem in hoc asperfusionis munere caueat omnino, vt ne signo quidem aliquo, ac nutu, nedum verbis, eo sanctæ asperfusionis nomine quidquam petat exigatve.

Monachi regularesve cuiusuis ordinis, etiam exempti, non aliunde, sed ab ecclesia cathedrali, intra cuius diœcesis fines habitant, olea sacra sumant. Si secus fecerint, arbitrio episcopi, in cuius diœcesi manent, puniantur.

De baptismo.

EORVM, qui domi, aut in ecclesia tamquam compadres ad baptismum adhibiti sunt, nomina in libro baptizatorum parochus notet: ne impedimentum matrimonii contrahendi ignoretur.

Religiosi instituti olim fuit, diem baptismi quotannis a fidelibus pie celebrari; id quod sanctus Gregorius Nazianzenus aliquando ostendit: quæ sane institutio cum ad pietatis Christianæ cultum piamque morum disciplinam non parum adiumenti, in primis adiutrice Dei gratia afferre possit:

ANNO CHRISTI 1582. possit: eam in vsum reuocari vehementer in Domino cupimus.

Itaque parochus & confessarius, prout occasio tulerit, cohortationis officio in id incumbant, vt fidelium, quorum curam gerunt, vnusquisque quo die baptizatus est, quotannis ardentiori prece, eleemosyna, si per facultates potest, omnique caritatis opere atque officio spiritualisque gaudii celebritate recolat, memor se chirographo damnationis deleto, hereditatis caelestis participem in Christo Domino factum esse.

Qua in cogitatione, cum semper alias, fereque in singulos dies, vt B. Chrystostomus monet, tum eo potissimum die sancte sese excitet ad praecalam illam sponsonem & Christianam professionem, quam in sacro lauacro per sponsores solenniter edidit. Repete, inquit sanctissimus pater noster Ambrosius, quid interrogatus sis; recognosce, quid responderis. Renuntiasti diabolo & operibus eius: Mundo & luxuriae eius ac voluptatibus: Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuae series cautionis.

Parentum cura sit, diem ob eam causam notare, quo eorum filius Christo renatus est: ideoque parochus cum baptizauerit, moneat etiam, vt id ab illis fiat, praeter scriptionem quam ipse eo de genere in codicem statum parochialem referre debet.

Baptismi vero dies, qui solenni illa abrenuntiationis sponsonem professioneque insignis est, ad omnem pietatis exercitationem vsumque non pompis saeculi, non conuiuorum apparatu, non luxu, non operibus tenebrarum, cum dies lucis sit, celebretur; sed sanctae caritatis erga Deum, ergaque proximum officii.

Grauiissimo suffocationis infantum, qui nondum aetatis suae annum expleuerunt, periculo vt occurreretur, poena excommunicationis, quam mulier in eo genere delinquens ipso facto subiret, in Concilio prouinciali IV. sancita est.

Verum cum aliquando causae & difficultates incidant, ob quas non omnino praestari potest quod salutariter cautum est; ideo hoc prouinciali decreto eam cautionem adhibere nobis visum est, vt pro conscientiae suae religione, episcopus in grauioribus causis dispensare, dispensandique aut habilitandi facultatem eo in genere vicariis fo-

raneis delegare possit, aliisque item ecclesiasticis hominibus prudentia & rerum vsu præditis.

ANNO
CHRISTI
1582.

Quod si quis, quicumque sit, etiam præter nutricem & matrem, non adhibita illa cautione, neque dispensatione impetrata, infantem contra præscriptum in lecto tenuerit, aut matrem nutricemve id facere coegerit, aut impedierit quo minus eo decreto præscripta cautio adhiberetur: is eadem poena irretitus sit, quæ illo decreto mulieri in eo genere delinquenti constituta est.

Quæ ad sanctissimæ eucharistiæ sacramentum pertinent.

PASCHÆ tempore a suo cuique parochio proprio sanctam eucharistiam ministrari ecclesiæ institutum ac præceptum est.

Quamobrem is, si quem parochialem habet, qui ex morbo laborans, aliave necessitate vere impeditus non potest sacro paschæ tempore ad ecclesiam conuenire, ubi sanctissimam communionem cum ceteris fidelibus percipiat, ad illum (etiamsi paucis ante diebus perceperit) ipse illo paschali tempore de more deferat.

Parochus hortetur & curet, vt vnusquisque paterfamilias, præsertim dato campanæ parochialis signo, quo sacrae eucharistiæ ad ægrum deferendæ significatio fit, sine mora in ecclesiam parochialem conueniat, vel alium de familia digniorem mittat, ad illam cerei candelæ lumine profequendam.

Si quando autem is, qui paterfamilias est, per necessariam occupationem non potest, saltem certum aliquem hominem, vel filium natu maiorem, vel denique famulum, aliumve mittat, qui id pietatis officium præstet.

Atque eam ob causam domi etiam omnis paterfamilias perpetuo funale cereum aut candelam vnã, pluresve habeat, quot ad id pietatis opus officiumque vsui sint.

Quæ ad penitentiaæ sacramentum pertinent.

EPISCOPVS a confessionibus audiendis suspendat, aut omnino amoueat confessarios etiam regulares iam approbatos, quos pro suæ timoratae conscientiaæ religione viderit in eo munere non ita sincere, integreque, & cum adificatione se gerere, quemadmodum & tanti ministerii illis commissi sanctitas postulat, & animarum salus deponcit, quæ suæ fidei concredita sunt.

ANNO
CHRISTI
1582.

Salutariter ex doctrina Spiritus sancti cautum est, Christi fideles de peccatis confiteri debere, quotiescumque rem actionemve aliquam aggrediuntur, in qua præsens mortis periculum pertimescendum sit.

Quamobrem parochus curet atque efficiat, ut præter id quod Pii V. constitutione, decretoque prouinciali de ægrotante sancitum est, ut si quis etiam parochialis eo profecturus est, ubi sit, aut pestis, aut hæresis, aut ubi nullam confessarii copiam habere possit, aut ad bellum iturus sit, aut pugnam initurus, aut iter infestum nauigationemque periculosam facturum, antequam viæ nauigationive se committat, peccata confiteatur.

Idem officium præstet de mulieribus proxime parituris.

Id præterea cohortetur, ut quis nauigationem, iter longum, negotiumve periculosum suscepturus, religiose etiam sumat sacrosanctæ eucharistiæ sacramentum: mulier item proxime paritura, frequentius.

Moneat quoque sæpenumero, cohorteturque, ut quoties quis rem arduam & difficilem, etiam in qua nullum mortis periculum extimescendum sit, aggredietur; primo confessus idem faciat: ut tanto sacramento corroboratus, spe erectiori fiat rei bene gerendæ.

Cum autem vel ab itineris, vel a nauigationis, vel a belli, alteriusve rei periculo, aut negotii (vtcumque successit) cura difficili bene iuuante Deo liber erit, hoc eum hortetur item, ut quamprimum pie confessus, Deo gratias agat huius sacramenti sumptione; in qua præcipua quædam ratio inest, qua Deo pro immensis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam referamus.

Episcopi cura præter ceteras illa etiam præcipua esse debet, ut quantum in se est, fideles peccatorum laqueis implicitos a turpissima peccandi occasione sollicitudinis episcopalis studio atque officio reuocet, animarumque vulneribus remedia opportuna adhibeat.

Ineunte igitur in primis quadragesima quam diligentissime inuestigabit, si qui vel in vrbe vel in diocesi sunt, qui opera carnis sectantes turpiter viuunt: si qui item odia & inimicitias exercent: si qui alii denique qui in aliqua peccandi consuetudine vsque iaceant: si quos porro eiusmodi ille compererit, omni ratione atque officio il-

los ad id inducat, vt a via quæ ducit ad interitum sine mora se abducentes, iter salutis omnino vereque suscipiant.

Quamobrem eos ipsos, vt pro facti ratione magis expedire iudicabit, vel priuatim ad se accersat, atque adeo instet, quemadmodum ait Apostolus, opportune, importune, arguat, obsecret, increpet cum omni patientia, vel seueriori quoque disciplina in eos agat omni iure omnique officio, ad sacrorum Canonum sanctionumque pontificiarum præscriptum.

Nec vero antea quam ipse perspexerit, istos ab ea male agendi via recessisse, peccandique occasionem ac publicas offensiones præcidisse, permittat (etiamsi qui testimonium confessarii afferant) ne in paschali quidem celebritate sacram communionem eis ministrari: quinimo illam tam diu differri iubeat, quoad eorum veram vitæ emendationem episcopus cognouerit: imo vero contra eos, qui quondam salutaria monita spernentes, in offendiculis perseverant, neque flagitiosam vitam deserunt, & a sanctissimæ eucharistiæ sumptione reiiciuntur, agat episcopus, agive iubeat, vt Concilio prouinciali secundo agi contra illos sancitum est, qui paschæ tempore eucharistiæ sacramentum non sumpserint; si vero in contumacia perseverauerint, in eos præterea seuerius, prout iuris est, animaduertat.

Iubeat episcopus in omni sacristia certo conspicuo loco tabellam affigi, in qua eorum, qui interdicti aut excommunicationis vinculo irretiti sunt, nomina & cognomina recte descripta in omnium conspectu sint: vt & si quandoque fortasse præsentibus sint, a diuinis officiis ecclesiæque eiiciantur; & si contra Concilii prouincialis decretum in ea censura perstiterint, in singulos menses ad eiusdem præscriptum de more denuntientur.

Illorum præterea singulorum nomina, & censuræ item qua affecti sunt genus, octo post diebus quam interdicti excommunicati sunt, ad regulares quoque mittantur; vt cum istis ipsi etiam agant ad præscriptum constitutionis quam summus pontifex Bonifacius VIII. eo de genere edidit.

Quod si contra fecerint, pœnas subibunt ea ipsa constitutione sancitas.

ANNO
CHRISTI
1582.

Quo faciliorem executionem habeat decretum in Concilio prouinciali V. editum, de quatuor præcipuis illis doctrinæ Christianæ capitibus confessario ante confessionem a pœnitente recitandis, nos decernimus & declaramus episcopi iudicio & prudentiæ hoc permissum esse, vt certis confessariis, quibus concedendum esse ipse censuerit, concedat, detque facultatem, quæ illam fidei rudimentorum recitationem eo prouinciali Concilio decretam ac præscriptam possint pœnitentibus aliquando remittere, quos certo sciunt illa capita recte nosse; & iis maxime quibus pœnitentiæ sacramentum frequentius ministrabunt.

At vero illud confessarius caueat, ne eius recitationis munus illis condonet, quos certo non scierit fidei rudimenta memoriter tenere ac recte nosse. Verum cum illis qui ea ignorant, agat ad præscriptum eiusdem Concilii V.

Quod superioribus Conciliis ex sanctæ sedis apostolicæ decreto confessariis sacerdotibus etiam regularibus vetitum est, ne pœnitentem quemquam ex priuilegiorum, quæ ipsis regularibus aut confratribus data sunt, vi auctoritateque absoluant: idem iis interdictum est, etiam indulgentiarum literis, quæ ecclesiis concessæ sunt.

Ne in monasteriis quidem, & locis vbi regulares spiritualem temporalemque iurisdictionem habent, quisquam sacerdos etiam regularis & exemptus confessiones audiat; nisi primum ab episcopo, intra cuius diocesis fines ea monasteria locave sunt, ad id probatus fuerit.

De visitatione infirmorum.

SANCTISSIMVS pontifex Gregorius XIII. vt salutarem aliquam ægrotis medicinam afferret, certis apostolicis suis literis episcopis huius prouinciæ auctoritatem dedit indulgentiæ ægris concedendæ, quos vel ipsi, vel eorum nomine alii visitauerint.

Quæ literæ vt omnibus notæ sint, proindeque ægroti salutare medicamentum contriti & confessi capiant ex visitatione episcopali, illæ a parcho, prout vsuenerit, studiose accurateque euulgentur.

Quæ ad ordinis sacramentum pertinent.

NE quis patrimonii ab alio cuiusuis conditionis homine assignati, aut promissionis titulo, quæ certa cautione de re omni victui necessaria suppeditanda facta sit, sacris or-

ordinibus maioribus initietur; nisi præter ceteras præscriptas cautiones, illud etiam publico instrumento caueatur, ea certa adiecta clausula, vt vterque & qui patrimonium assignat, & cui assignat, iureiurando affirmet, id patrimonium vere possideri, obtinerique, ac nihil præterea inesse doli & fraudis, nullumque esse eo nomine contractum initum, nullumque promissum factum, nec vero in posterum se aliquid acturos facturosve esse, quo minus clericus, qui initiandus est, assignato patrimonio vere recteque ipso vtatur, ac fruatur: proindeque si quod contra actum, gestum, factumve erit, id omne irritum, rescissum, atque plane ipso iure nullum, nulliusque roboris esse velle. Si quid autem contra actum erit, ei præterea qui sacris initiatus est poena sit, vt statim ipso facto episcopi arbitrio ab ordinum quos suscepit munere functioneque suspensus sit, nec aliis maioribus ordinibus adscribi possit.

Verum ne qui patrimonium assignat, aliquo timore deterreatur, quo minus illud vel assignet, aut cautionem vitus, qui clerico satis sit, præstet: sed quo magis ad id ipsum excitetur, statuimus, patrimonium eo nomine assignatum cautionemque item ita ei vsui annecti, vt qui initiatus est, illud patrimonium aut cautionem alienare vel remittere nullo modo possit, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sit adeptus, vel aliunde habeat vnde viuere possit: sed nec delinquendo amittere; vsque adeo, vt ne grauis quidem criminis quod ille admiserit causa præscribi, nec fisco applicari queat: sed eum qui assignauit, donauit, cauitque, & ad eius heredes, aut ad alios qui ab intestato clerico initiato succederent, ipso iure redeat.

Quæ ad capitula pertinent.

QVOD Concilio prouinciali secundo sancitum est, vt qui ecclesiastici beneficii possessionem adipiscuntur, eiusdem beneficii titulum etiam non moniti mensis spatio ordinario suo ostendant; hoc decreto constituimus canonicos etiam tam cathedralium quam collegiatarum ecclesiarum comprehendere, in quibus iure legitimo præbendarum optiones fiunt: ita vt a die adeptæ possessionis, optionis instrumentum in cancellaria episcopali intra præscriptum temporis spatium exhibere debeant omnino; alioquin contra eos poena eadem decreto contra beneficia

ANNO
 CHRISTI
 1582.

obtinentes sancita, ac aliis arbitrato ordinarii agatur.

Capitulum sede episcopali vacante vicarium constituat, confirmetve, qui omnino iuris canonici doctor sit: quod si huiusmodi vir in collegio capitulove non extat, alium de capitulo, qui quammaxime potest idoneus sit, deligere poterit.

Eidem vicarium semel electum mutare ob causam licebit, modo alium octo dierum spatio constituat: alioquin illius eligendi facultas ad metropolitanum, aut ad eius antiquiorem suffraganeum sede metropolitana vacante pertinebit.

Electio vero in controuersiam aut in dubium adducta, is electus censeatur, qui a capituli maiori parte delectus fuerit.

Ne vero œconomus ceterive officiales semel electi a capitulo mutentur, nisi ea electio etiam viuentem episcopo ad capitulum pertineat.

Vicario autem aliisve officialibus absentibus, substitutorum electio ad vicarium, non ad capitulum spectet.

Cum vicarius aliisve ex officialibus a suo munere amouendus erit, fas sit capitulo vicarium ipsum officialesve ad reddendam rationem administrati muneris compellere; eosque pro modo culpæ etiam non expectato nouo prælato punire: qui nihilo minus eandem administrationis rationem quam sede vacante reddiderint, exigere possit, atque in eos, quamuis per capitulum absoluti essent, animaduertere ut iuris erit.

Quæ ad cleri disciplinam attinent.

QVOD ab episcopis prælatisve ob dignitatem, qua præcellunt, ex instituto fieri decet, ut manu ad pectus admota, si quando oportet, iusiurandum præstent: id sane vbique & semper ita rite seruent, nisi causæ grauitas, prout iure cautum est, aliter postulat.

Reliqui autem ecclesiastici homines, utpote clerici inferiorum ordinum, subdiaconi, diaconi & presbyteri, si iurare necesse habent, id tactis sacris literis agant.

In causis porro leuibus, ubi opus est, iurent, manu scilicet pectori admota; si modo superior præsens non adest: quo præsentem contactis scripturis iusiurandum præstent.

Sacerdotes Missæ celebrandæ munere suspensi impe-

ditive, frequenter, & vero præfertim diebus dominicis ac festis, sacram communionem sumant.

ANNO
CHRISTI
1582.

Si quem cuiusvis ordinis clericum episcopus concubinam, mulieremve eo nomine suspectam habere, aut illius consuetudine commerciove uti compererit; in eum pœnis a sacris Canonibus vel statutis ecclesiæ suæ impositis animadvertat: quod si monitus speciali monitione, secundo deliquisse repertus fuerit; tertia pars fructuum prouentuumque suorum beneficiorum, qua ipso facto priuatus existit, iuxta decretum sacri Tridentini Concilii, fabricæ ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio episcopi applicetur.

Si autem in eodem delicto perseverans, secundæ monitioni non paruerit, omnibus suorum beneficiorum fructibus priuatus, prædictis locis similiter applicandis, ab ipsorum etiam administratione eiusdem episcopi arbitrio suspendatur, & distributiones quoque quotidianas, quas aliquin interessendo diuinis perciperet, amittat.

Et si ita suspensus nihilo magis resipuerit; in eum episcopus pro contumaciæ pertinacis ratione, culpæve grauitate, sententiam priuationis omnium beneficiorum proferat, & indignus atque inhabilis ad quæcumque beneficia & officia declaretur; & præter prædictas pœnas, excommunicatione, & aliis ad præscriptum eiusdem Concilii, & pro ipsius episcopi arbitrio plectatur.

Liberum autem erit episcopo, monitiones has facere, tum in uisitatione, tum aliis etiam temporibus; inter vnam & aliam monitionem tempus quod sibi videbitur interponendo; procedatque ex denuntiatione, vel ex inquisitione, vel ex officio, vel alio quouis modo; & prædictam executionem nulla exemptio aut appellatio, siue ante, siue post definitiuam sententiam, vlllo casu suspendat.

Hæc eadem, quæ de concubinato, vel aliis impudiciæ sordibus clericorum statuta sunt, seruanda erunt etiam si quis clericus modo cum vna, modo cum alia impudica muliere deliquisse comprehendatur.

Quoniam clerici in fornicationem prolapsi, quorum peccatum eiusmodi notorium est, per sententiam seu per confessionem factam in iure, aut per euidenciam rei quæ tergiuersatione aliqua celari non possit, aliquando tamen ante & sæpenumero post pœnitentiam actam, ordinis quo
ini-

ANNO
CHRISTI
1582.

initiati sunt, proprium munus sine dispensatione obeunt: quippe cum fortasse non animaduertant, neque Dei offensionem, neque canonicum impedimentum, quo ob tale crimen sese deuinciunt: idcirco clericum cum sapissime omnique studio periculi huius episcopi commonefaciant; tum hoc etiam diligenter curent, ut ii ipsi clerici usque adeo manifesta concubinitus fornicationisve labe contaminati, poenitentiam vero peragant & ordinis sui muneris, a quo suspensi sunt, fungendi facultatem dispensationemve ante obtineant, quam illud ipsi obeant: alioqui meminerint ii, qui in male agendi consuetudine perseverantes, antequam poenitentia, praestiterint, & cuiuscumque vel peccati, vel offensionis publicae occasionem praeciderint, ordinis sui functionem ministeriumve episcopo inuito executi sint, se praeterea irregularitatis maculam, quae a solo summo pontifice deleri potest, suscipere.

Si vero praestita etiam poenitentia & peccati offensionisque publicae remota praecisaque occasione id ipsum egerint, nulla saltem impetrata ab episcopo dispensatione, qui eam concedere potest: norint se peccato mortali illigari.

Quae ad Missam pertinent.

CURET episcopus, ut in vnoquoque altari, in quo Missa celebranda est, crux adfit.

UT quae pia legata ad remedium animae a fidelibus relicta sunt eo nomine, ut Missae pro se de defunctis celebrentur, executionem prout pia eorum voluntas deposcit, recte habeant, id episcopus quam diligentissime curet.

Quibus autem in ecclesiis ob multa variaque defunctorum legata Missas usque adeo multas celebrari oportet, ut ratione singulorum dierum, quos testamento aliaue ultima voluntate testatores praescripserint, muneri, quod eorum piis voluntatibus debetur, satis fieri non possit; aut elemosyna eo nomine adeo tenuis est, ut non facile inueniatur, qui velit huic se muneri subiicere: idem episcopus in Synodo dioecesana re accurate cognita & perspecta, statuatur quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque ecclesiarum utilitatem viderit expedire; ita tamen, ut in singulis Missis, quas iure reductionis celebrari contingeret, eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum

animarum salute legata ad pios vsus reliquerunt: debita autem commemorationi satisfiet per intentionem applicationis Missarum, per preces in secundo Memento, & per collectas faciendas in illis Missis, in quibus collecta fieri possunt.

Ceterum intelligendum est, fructuosiores esse, magisque prodesse preces & orationes ab ecclesia pro defunctis institutas cum applicatione sacrificii, quam applicationem solam; licet recompenfari possit per maiorem deuotionem uel eius qui dicit Missam, uel eius qui facit dici, uel per intercessionem sancti cuius suffragium in Missa imploratur.

Episcopus de capellarum oneribus, deque Missarum numero foundationis iure aliove nomine illis adiuncto, ne Concilii Tridentini (quod piarum voluntatum relictis legatis solum prospexit) auctoritate quidquam statuat; sed eo de genere quod iure cautum est, id plane seruet atque decernat.

Clericus qui in Missæ sacrificio ministrat, dum eam functionem obit, ne preces horarias, neue aliud quidquam de libro aliove officio recitet; sed toto intimæ pietatis studio ad ministerium attentus sit, quod tunc pie religioseque exequi debet.

Quæ ad diuina officia pertinent.

QVO die sanctissimus pontifex consecrationis coronationisue insignia accepit, pietatis ratio postulat in eo precationem a clero pro illo pie adhiberi.

Quamobrem omnis sacerdos, quo die summus pontifex consecratus coronatusue est, in Missæ sacrificio stata illa oratione, Deus omnium fidelium; loco suo in Missali adscripta, pro eo precetur: atque ob eam quidem causam consecratio pontificia, cum in Calendario anniuersario die suo notetur, tum etiam de more denuntietur; ut reliquus etiam clerus & populus item excitetur ad preces pro illo pie adhibendas.

Summo pontifici vniuersalis ecclesiæ pastori & parenti, si quando illum ægrotare contigerit, id caritatis officium, prout morbi grauitas tulerit, episcopus præstari curet; ubi ob eam causam in cathedrali, collegiata, parochialique vnaquaque ecclesia, clerus populisque cerra stata hora pro ipso pontifice oret.

ANNO
CHRISTI
1582.

ANNO
CHRISTI
1582.

Si quando autem is ex hac vita migrarit, nuntio certo mortis allato id curet, vt cum omni ecclesia campanarum sono, vt pro mortuis fit, de more pulsetur; tum in basilica cathedrali ecclesiisque collegiatis, Missa solennis & officium pro eo mortuo rite pieque celebretur.

Sacerdotes vero singuli pro eo defuncto Missam celebrent, aut saltem in ea precentur stata oratione.

Pro episcopo, qui pater, magister, duxque cleri & populi est, si quando ex febre aliove morbo laborans decumbit, omnis debita pietatis ratio deposcit, supplicationem orationemve & publice & priuatim sancte celebrari.

Quamobrem cum occasio tulerit, eius vicarii officium erit certis diebus illam instituere atque indicere: ita vt cum in vrbs, tum etiam si ægritudo diuturnior erit, in diocesis omni ecclesia tam collegiata quam parochiali, pro episcopo ægotante a clero populoque prece religiosa oretur, & ab vnoquoque sacerdote in sacrosancto Missæ sacrificio stata etiam oratio frequenter fiat.

Episcopus diuinorum officiorum, quibus præsens in ecclesia adest, initium stas precibus versibusve faciat, orationesque stas ipse dicat, binis accensis luminibus in eius conspectum allatis.

Solennes Missæ, vesperæ, aliaque diuina officia, quæ ab episcopo ritu pontificali solenniter celebrabuntur, quo populus frequentior conueniat, cum in basilica cathedrali, tum in ecclesiis collegiatis & parochialibus item ciuitatis die festo proxime præcedenti denuntientur: eamque ob causam in Kalendarium anniuersarium referantur, vt ordine descriptæ sunt in Concilio prouinciali IV.

Si quæ autem Missæ aliave officia, ob causam quæ extraordinem inciderit, aliquando pontificali ritu solennique celebranda erunt, episcopi iussu iis in tempore significantur, a quibus populo denuntianda sunt.

Libri qui certis antiphonarum modulationibus olim notati, ex breuiarii nuper editi præscripto nondum emendati sunt, in sua quisque diocesi episcopus curet, vt quamprimum & accurate emendentur, atque accommodentur ad breuiarii noui editionem.

Feria quinta cœnæ Domini, quo religiosus colatur & custodiatur locus, in quo sanctissimi Christi Domini cor-

pus recondi solenne est: episcopus diligenter curet, vt & in basilica cathedrali, & in ecclesiis tam collegiatis quam parochialibus semper vnus saltem sacerdos, aut sacris initiatus, eo sacro loco tamquam in statione collocatus excubet, atque euigilet in assidua precatione sanctaque meditatione.

ANNO
CHRISTI
1582.

Quæ ad funera pertinent.

PAROCHVS illius qui proxime præcessit parochi, anniuersaria stato die quo ille obiit, celebratione Missæ parochialis agat, sin autem pro festi solennisque diei ratione tunc agi non licet, alio die proxime antecedente, quo licebit, pro illius animæ salute pie religioseque exequatur.

Clericus mortuus vestitu clericali ecclesiastico, quem ordinis sui ratio deposcit, indutus efferatur: diaconali ecclesiasticaque veste diaconus: sacerdotali sacerdos; clericus superpelliceo tonsuraque ornatus: itidemque alii pro ordinis ecclesiastici gradu.

Mortuum quouis etiam generis, gradus, dignitatisve nomine illustrem laicum ecclesiastici homines ne efferant: ne item inferioris ordinis clericum, qui in superiori ordine constituti sunt.

At vero subdiaconum subdiaconi, diaconum diaconi, & sic ordine ceteri: nisi necessitas aliquando suadeat, digniores ab inferioris ordinis hominibus efferri.

Episcopum vero mortuum, ii qui in ecclesia cathedrali dignitates obtinent, & canonici sacerdotes, & ii digniores efferant.

Laicum autem laicalis ordinis homines: quod officium etiam laici qui piæ alicui confratriæ adscripti sunt, præstare poterunt.

Lumina, cerei, funalia, intortiatave in funere ne restinguantur, nisi sacro officio etiam sepulturæ rite absoluto atque expleto.

Missæ, cum mortui corpus sepelitur, quando commode fieri potest, pro eo pie celebretur: id quod & Canonum iure & sacrorum rituum libris cautum est.

Ne laici etiam confratres, aut alii societati adscripti, sed ecclesiastici homines, mortuo cuius funus agitur, totum officium sepulturæ præstent: ita vt quæ preces quive

ANNO
 CHRISTI
 1582.

sepeliendi ritus ei ex ecclesiæ instituto consuetudineve adhibentur, eorum & omnium officium non ipsi laici, sed sacerdotes & clerici eo nomine vocati perfecte expleant, quoad illius corpus humatum sepultumve sit.

Ne die dominico & festo qui ecclesiæ præcepto consuetudine votove colatur, anniuersaria agantur: quæ si certo aliquo festo is qui decessit pro se agi præscripserit; alio proxime præcedenti die cum pro officii ratione licet, celebrentur.

Si quando autem die dominico festove mortuum efferri in sepulturamque tradi contigerit; pro eo Missam conuentualem ad præscriptum Romani ritualis celebrari licebit.

In omni ecclesia cathedrali & parochiali singulis dominicis anniuersaria, quæ in hebdomadam proxime sequentem in ea ecclesia celebranda erunt, fidelibus denuntientur.

Idem de septimo, & trigesimo, & alio eiusmodi officio præstetur. Qua in denuntiatione parochus cohortatione illos excitet ad orandum pro mortuis, proposita etiam humana vitæ conditione.

Pro fidelibus defunctis religiosas Deo preces orationemque adhibere, officium est salubre illud quidem, sanctum, Christianæque pietatis studio plane dignum.

Quam ob causam summus pontifex Gregorius XIII. Romæ instituit prima hora noctis pro illis in singulos dies pie orari. Cuius exemplo nobis ad imitationem proposito maximopere excitati, cum iam pridem proximis annis orationem vespertinam, quam communem dicimus, pro viuis decreuerimus, hanc alteram pro mortuis iam nunc constituimus.

Itaque vnusquisque prouinciæ episcopus, pro salutis animarum zelo, quo præcipue incensus esse debet, in eam curam incumbat, vt vbique locorum in sua diocesi religiose celebretur, omnique ardentissimo caritatis & precationis spiritu.

Illius horam pro ratione temporis vel brumalis vel æstiuæ, proque prudentia sua, sub primam noctis vigiliam ita statuatur, vt iam decreta oratio vespertina nullo modo impediatur.

Præfinit in vrbe basilicam cathedralem, & certas alias

ecclesias, in quibus stata hora, statoque campanæ signo significatio huius orationis precationisve fiat.

ANNO
CHRISTI
1582.

Vnusquisque autem fidelis, vbi vbi sit, vel domi vel foris, ad memoriam mortis excitatus, primum paulisper tacitus in mortis suæ, quam breui fortasse obibit, meditatione versatus, tum se accendat ad orationem pro mortuis, quam psalmo *De profundis*, aut precatione dominica, & salutatione angelica sæpius repetita, intimo religiosi cordis affectu perorabit: vt defunctorum animæ e purgatorii supplicii ereptæ, Dei misericordia ad sempiternæ cælestis vitæ præmia perducantur.

Parochi præterea, quo magis atque magis huius pietatis studium exardescat, sæpe accurata cohortatione ad illius studium vsumque perpetuum parochiales suos inflammare studeant: & quo magis eosdem alliciant, indulgentiam proponant iis concessam, qui sono campanæ moniti atque excitati ad orationem pro mortuis, pie recitauerint psalmum *De profundis*, aut orationem dominicam salutationemque angelicam ter dixerint; cuius indulgentiæ pontificias literas vt parochi aliquando de scripto euulgent, in fine huius Concilii loco suo impressas extare voluimus.

Delatum ad nos est, nonnullas ex eo offensiones oriri, quod corpora mortuorum, eorumque præsertim qui repentina morte decesserunt, in sepulturam nimis præpropere, atque adeo celerius quam par est, tradantur.

Quibus offensionibus vt opportune occurratur, decernimus, ne in posterum corpus aliquod sepeliatur, nisi duodecim saltem horis postquam spiritum exhalauerit.

Verum si quem de improviso mors aut morbi alicuius repentina vis occupauit, is ne in sepulcrum inferatur ante vigesimam quartam huiusmodi repentini euentus horam: nisi secus episcopo eive videbitur cui ipse id curæ dederit.

Quæ ad processiones pertinent.

STATI dies processionum, quæ pro gratiarum actione fiunt, vt antiquis rituum monumentis traditum est, hi sint, dominicus scilicet dies, vel feria quinta. Si vero pro calamitatibus, peste, bello, fame, aliisque id generis supplicandum est; processiones publicæ agantur feria quarta, sexta, & sabbato: quibus processionibus agendis etiam cer-

ANNO
 CHRISTI
 1582.

tas ecclesias, pro ecclesie sue consuetudine, ac pro populi commisso pietate episcopus statuet libero arbitratu suo.

Supplicationibus publicis obeundis, fideles sue quique ecclesie parochialis vexillo prelato, ut frequentes ordine procedant, eos parochus sapenumero, prout occasio tulerit, accurate moneat, valdeque accendat dono munereque indulgentie, quam summus pontifex Gregorius XIII. pro sua paterna caritate provincie Mediolanensi concessit: cuius indulgentie pontificias literas in fine huius Concilii VI. impressas, ob eam causam frequenter parochialibus suis euulget.

Quo frequentiores item in concione sacra, in Missa maiori, vesperis, & completorio presentes adsint; iisdem indulgentie literis illos crebro cohortetur & moneat.

Quæ ad cultum ecclesiarum pertinent.

SACRARVM rerum munditia diuinorum officiorum religioni debita, ecclesiasticis sanctionibus cum precepta fit, tum decretis provincialibus generatim vniuersaque renouata est, ut certis regulis editis speciatim diligentius prescripta, pro curæ commissæ officio ab iis, quorum interest, in omni ecclesia seruetur, metropolitani cura auctoritateque eo de genere omni instructio diligenter ordine contextatur, atque ad usum provincie edatur; quo magis rerum diuinarum cultus, suppellectilibusque ecclesiasticæ nitor, vndique decore & religiose colluceat.

Si quæ delicta in ecclesia committuntur, parochi, intra cuius parochie limites sita est ecclesia, (etiamsi illa regularis sit & exempta vbi delictum patratum,) officium sit, quamprimum episcopo vicariove literis saltem significare. Idem de eo parochi, capellano, rectoreve decernitur, in cuius ecclesia crimen commissum est.

Quod de velo mulierum non sine multiplici mysterio, & voce apostolica institutum, & pontificio Canone corroboratum, & sanctissimarum feminarum exemplis vstitutum, ac diuturno vsu retentum, nos Concilio III. provinciali commonendum, & ab provincie episcopis omni ratione curandum statuimus; quo diligentius in posterum prestatetur, hoc preterea decernimus: Mulieres cuiusvis ordinis, status, & conditionis sint, pena interdicti ab ingressu ecclesie sancita, velato in ecclesia capite sint.

Quæ vero non paruerint, postquam ter, aut semel (quæ vnica monitio pro tribus satis sit) etiam generatim monitæ, in contumacia perstiterint, ab episcopo, prout expedire iudicauerit, puniantur. In baptisterii sacello nullum sepulcrum sepulturamve extrui liceat.

Si quod autem baptisterium extra sacellum ædificatur, permittiturve; ne sepulcrum proxime fiat: sed tam longe, vt ab illius sepimento sepulcrale os distet spatio cubitorum saltem trium, ac præterea concauitas sepulturæ ne sepimentum attingat.

De bonis & iuribus ecclesiasticis.

QUIBUS iudicibus auctoritate Concilii Tridentini & Synodi prouincialis primæ facultas data est, qua rerum ecclesiasticarum locationes ad longum tempus factas rescindant nullasque decernant; perpetuas etiam locationes cognoscere, itidemque rescindere, ac irritas facere ad eisdem Concilii Tridentini præscriptum, si ipsi & possint, & debeant.

Quamquam de piis legatis, decimis, primitiisque decreta permulta contra debitores Synodis prouincialibus promulgata sunt: nihilo minus istorum calliditatibus, rursusque eorum quibus debentur commodo non adhuc satis consultum ac prouisum est.

Quamobrem episcopus, vel ipse per se, vel per vicarios visitatoresve suos, etiam in visitationis munere, de piis legatis accurate diligenterque inquirat; accersitisque etiam ad se, si videbitur, heredibus, aliisve qui ea exequi præstare debent, de illis ipsis decernat: certumque præterea tempus pro illis præstent omnino constituat. Atque eorum quidem omnium, & singulorum qui illa præstare debent, nomina edi, in tabellamque certam referri iubeat; quæ in vniuscuiusque ecclesiæ parochialis sacristia loco conspicuo affixa proposita-ve sit.

Si quis vero eorum qui in eam tabellam relatus est, ad constitutum tempus legata quæ debet præstare neglexerit prætermiseritve, arbitrio episcopi puniatur, nisi re ipsa quamprimum legata quæ debet, persoluat.

Id quoque ipsum de illis qui decimas & primitias debent, hoc decreto plane constituimus & sancimus.

De

ANNO
CHRISTI
1582.*De episcopo, episcopali iurisdictione, & foro.*

PRO ea qua episcopus abundare debet præstanti cura, proque illa perfectionis episcopalis ratione, ad quam omnes eius rationes referuntur; nihil vel minimum ei præmittendum est, quo munus, quod multiplex graueque gerit, non modo sustinere, sed explere salutariter possit, aliorum etiam subsidiis ad officii sui executionem comparatis.

Quamobrem sibi duos sacerdotes pietatis zelo flagrantes, spiritualique vsu peritos ac prudentes, pro conscientia suæ religionis secreto in ciuitate deligat: quorum sacerdotum officium in primis sit, episcopum assidue omni caritate, & humilitate, omnique debita obseruantia officio priuatim sincere admonere, quid in eo vel desiderari vel opus esse viderint, cum ad omnis disciplina, tum vero ad sacri Tridentini nostrorumque prouincialium Conciliorum perfectam atque absolutam executionem. Ob eam etiam causam aliquem prouinciæ episcopum item deligat, cui cum aliquando per literas pastoralis administrationis suæ rationes, consilia, omnemque ecclesiæ sibi commissa bene gerendæ modum familiariter communicet; ita vt hoc subsidio sibi in omni deliberatione atque actione opem atque adiumentum paret.

Vicini quoque episcopi ad muneris sui functiones recte progredientis exemplis se in dies ad id excitet; vt vno eodemque spiritu, parique diligentia, imo vero sancta quadam pastoralique piæ æmulationis contentione, ipse curæ suæ partes exequatur; cum hæc accensu studii coniunctio, ad constituendam, perpetuoque communiendam omnem disciplinam permultum intersit. Sin autem fratrem episcopum, cuius diocesis finitima est, aliquid vel in officii pastoralis partibus, vel in Tridentinis prouincialibusve decretis exequendis, vel in aliis officiis pastoralibus aliquid præmittere animaduernerit; cum eo fraterne agat, vt omni vigilantia decretorum, munerisque episcopalis executionem præstet, quæ eorum vtrique præscripta est. Si quando autem ad episcopum prouinciæ diuertet, cum eoque congregietur, illud sibi magnum præcipuumque negotium propositum sit; vt cum eo ecclesiæ suæ administrandæ rationes conferat, consultationesque

ineat : id quod sanctissimos episcopos fecisse memoriae proditum est.

ANNO
CHRISTI
1582.

Nec vero has rationes solum ineat, sed etiam longe diligentiores, quo accuratius commissa officia exequatur.

Vt autem familiam suam in bene viuendi regulis atque officiis perpetuo contineat, deligat aliquem ex suis virum prudentem, spiritualisque vitæ studiosum: cui id plane mandet, vt quæ in moribus familiæ emendationem aliquando desiderant, ea quamprimum sibi referat animo simplici ac puro: vt ipse prout opportunum esse viderit, remedium adhibere possit.

At præterea quo diligentius familiæ suæ institutioni consulat, cum fraternam etiam correctionem in ea instituentam curet, tum vero frequentes spiritualium rerum collationes, & alias exercitationes, disciplinæ etiam regulas ex Conciliorum prouincialium decretis præscribat.

Quas regulas in tabella ordine descriptas, ipsi familiæ in conspectu propositas certo loco affigi iubeat.

Cum vero aliquem in ea adscribet, illas eidem proponat, anteaquam in familia illum adscribat.

Quod episcopus sancte iuratus in sua consecratione promisit, se singulis annis visitare limina sanctorum apostolorum Petri & Pauli, cum longe ab vrbe Roma absit, nec propterea id, personalis residentia munere adstrictus, quotannis facile præstare possit, certum saltem nuntium ex iurifurandi præscripto ad urbem Romam mittat, qui id obedientia officium nomine suo præstet. Is vero quem miserit constitueritve, recte instructus sit cognitione rerum ad ecclesiæ suæ statum pertinentium: vt & cleri sui disciplinam, & populi in via Domini progressionem, & omnis ecclesiæ diocesisque suæ rationes, pontifici, aut iis quibus ille mandarit, quamrectissime exponat.

Metropolitanum, si quando febris morbove periculose laborauerit, decanus episcopus prouinciæ, alique episcopi duo prouinciales qui propius absunt, de illius inuالتudinis periculo a vicario illius certiores facti, nulla mora interposita inuisant, fraterna caritate consolentur, salutaribusque consiliis opportune iuuent. Si vero illum obire contigerit, eius funus exequiasque itidem solenni ceremonia rite concelebrent, iis omnibus pie recteque

ANNO
CHRISTI
1592.

feruatis, quæ hoc de genere constituta sunt: eoque accuratius, quo præstantior est archiepiscopalis dignitas.

Si quando ex febris aliove morbo episcopus laborat, ægrotationis initio, ac deinceps aliquando, prout expedire censuerit, cathedralis ecclesiæ suæ capitulum, cum quo de spiritualis sanctæque vitæ officiis ac studiis colloquia salutaria ineat, ad se conuocet. Quod vero a sanctissimis episcopis huius prouinciæ, præsertim Ambrosio, Eusebio Vercellensi, Gaudentio Nouariensi, aliisque factum esse memoriæ proditum est, id proposito etiam ad imitationem illorum exemplo episcopus exequatur; vt cum periculose ægrotans prope diem mortem obibat, cathedralis ecclesiæ capitulum clerumque ante conuocet: cui cum pacem, caritatem, sanctarumque virtutum disciplinam suadeat, eamque quasi hereditariam quamdam disciplinam relinquat; tum & vniuersæ & sigillatim religiosis eorum precibus, sanctis sacrificiis sese intime commendet.

Episcopus, cum ægrotans in lecto iacet, frequentissime tamen sacræ eucharistiæ pabulo se salutariter reficiat, ac recreet; cui (saltem cum primum, & cum pro viatico illam sumet, & semper denique, nisi cum ipse secus iusserit) vniuerso clero & capitulo cathedralis ecclesiæ profequente, archipresbyter, aliusve deferat & ministret, qui secundum episcopum primariam dignitatem sacerdotalem obtinet.

Si quando episcopus ad actionem solennem, quæ in alia prouinciæ ciuitate locove celebratur, accedit, itidem excipiat, vt eum excipi decretum est, cum ad Concilium prouinciale venit: ac præterea obuiam ei procedat episcopus, ad cuius ciuitatem venit.

Episcopus, ad quem vniuersi cleri sui cura etiam paternam refertur, zelo caritatis accensus, si quem ecclesiasticum hominem, etiam minoris ordinis, intra alicuius parochialis vicinæ fines ægrotantem audierit, ipse, aut alius eius nomine, inuisit, & consoletur paternis & consiliis & officiis: quæ si illi præstare debet, certe multo accuratius, atque adeo ardentiori dilectione exequetur erga eos, quos habet basilicæ suæ cathedralis ministros, & parochos in animarum salute procuranda adiutores.

Quo vero cumulatus id præstet, pro sollicitudinis paternæ zelo id etiam curæ suscipiat, ut cum is status vrbis regionibus, tum in diocesis partibus distinctis, præter parochum vel proprium vel propinquiorem, de quo in altero Concilio alias cautum est, certos etiam sacerdotes caritate flagrantes, vitæque spiritualis moribus & vsu præditos decernat: quorum munus sit, ægrotantibus clericis, cuiuscumque ordinis sint, præsertim ope destitutis, præcipuam operam, sollicitudinem, & curam nauare, si qua opus esse viderint; cum in primis ad pie sancteque iuuandum animæ salutem, tum ad corporis bene curandi rationem.

Episcopus qui totis in Christo visceribus egentium curam gerere debet, cum ceteras rationes ineat, quibus in difficultate annonæ populi sibi commissi egestas subleuetur, tum vero quam diligentissime caueat, ut in rei frumentariæ inopia, ecclesiastici homines frumentum aliudve alimenti genus, quod ad subleuandam annonam pertineat, ne supprimant abscondantve.

Ac præterea eos omnes & singulos pœnis propositis, omnique iuris remedio cogat, quidquid frumenti habent, siue proprium siue alienum, in priuatis aut ecclesiasticis ædibus reconditum, apud ecclesiasticum hominem (quem si ita expedire censuerit, eo nomine ipse constituat) sine dolo & fraude scripto profiteri; eidemque frumenti illius omnis numerum & conditionem recte sincereque denuntiare.

Et vero si quando annonæ grauitas difficultasque ita tulerit, id omne frumentum venditioni exponi iubeat; ac vendi, quo pretio illius annonæ temporibus in foro frumentario vendi solet.

Sæpenumero accidit, de seruitute aquæ, per alienos agros deducendæ, de oryxis intra certos fines non ferendis, atque de aliis eius generis rebus & causis, controuersias litesque inter homines ecclesiasticos & laicos excitari.

Quamobrem episcopus, cuius etiam præter cetera munus est, litium occasiones præcidere, & in commune etiam vtilitatibus publicis consulere; quæ ad ecclesiastici ordinis homines pertinere ex Canonum sanctionibus

ANNO
 CHRISTI
 1582.

cognouerint, ea edicto etiam episcopali, si ita expedire censuerit, æquo iure statuatur ac decernatur.

Videat tamen antea diligenter, si qua in causa sedes apostolica consulenda sit: neque vero tunc in eo inconsulte quidquam agat deliberetve.

Quæ ad visitationem pertinent.

SINGVLIS annis episcopus ad præscriptum Concilii Tridentini eas capellas visitet, quæ hisce etiam conditionibus erectæ institutæ sunt, vt ordinarius aliusve superior ecclesiasticus non possit, ne visitationis quidem correctionisve causa, aut alia quauis ratione id sibi vindicare: vsque adeo vt si contra attentatum erit, nulla irritaque sit & erectio, & eiusmodi voluntas testatoris.

Si vero capellarum erectio fundatiove, ac testatoris voluntas hisce conditionibus præscripta, sedis apostolicæ auctoritate comprobata erit: tunc ordinarius earum capellarum administrationis, visitationis, correctionisve ius nullo modo sibi sumat: nisi fortasse, quibus testator illarum administrationem curationemve reliquerit aut commiserit, eos negligentes esse cognouerit. Ecclesias præterea equitum ordinis Ierosolymitani is itidem visitet, vt summi pontificis pii V. constitutio præscribit.

De Concilio prouinciali.

CONCILII prouincialis celebrationi atque actionibus, vt eius diligentiorum usum normamque in dies teneremus, certas quasdam rationes in Synodo prouinciali IV. constituimus: quibus sane rationibus operæ precium censuimus hæc adiungere, quo magis splendescant illæ actiones; indeque fructus salutares existant.

Aliquot ante Synodi prouincialis celebritatem diebus, literæ pastorales eo de genere a metropolitano editæ cum in omni prouinciæ ciuitate, tum in vniuscuiusque diocesis locis, vbi promulgationem fieri moris est, episcopo curante recte promulgentur: quo studiosius fideles excitentur ad precandi studium, pietatisque opera, quibus implorata diuina ope, actiones conciliares adiuuentur.

Atque iis quidem literis, si quid episcopus pro diocesis suæ rationibus atque vsu addendum censuerit, addat licet.

Quod antiquæ disciplinæ fuit, vt episcopus iter faciens duos saltem ecclesiasticos homines, vnum subdiaconum,

alterum diaconum in comitatu haberet: id pro sanctæ sollicitudinis suæ zelo ipse ad vsu[m] reuocare curet, cum præsertim ad Concilium venit.

ANNO
CHRISTI
1582.

Episcopo ad Concilium venienti, metropolitanæ ecclesiæ vicarius generalis, & alii prælati, ecclesiasticique viri, quos archiepiscopus delegerit, duo aut tria millia passuum obuiam prodeant.

Urbem locumve vbi Concilium celebratur mula is vetus, & insigne dignitatis episcopalis viatorum indutus, decore ingrediatur. Cum ingreditur, sancta caritate, rogatu & concessu metropolitani, quodam modo impulsus, in via populo benedicere non recuset.

Primo urbem locumve Concilii ingressus ad basilicam metropolitanam primariamve accedat: vbi paulisper Deum sancte precetur.

Ad basilicæ valuas ei obuiam veniant, & qui dignitates obtinent, & canonici, & clerici quicumque illius basilicæ.

Quod si fortasse tunc diuinis officiis in choro occupati sunt, duo tamen, quatuorve, qui ex ordine sacerdotum & diaconorum digniores sunt, e choro mittantur; qui episcopum ingredientem excipiant, & ad altare maius deducant. Dum atrium limenve ecclesiæ ille ingreditur, eius aduentus & ingressus solenni campanarum sono, & nisi diuina celebrantur, organo etiam piaque cantus modulatione excipiat.

Inde a basilica ad metropolitanum ipse veniat; qui obuiam procedens, fratrem episcopum omni caritate & osculo pacis benigne excipiat.

Quod Concilio prouinciali I V. de Missa & oratione Spiritus sancti decretum est, id in posterum ita seruetur, vt a dominica tertia ante constitutam Concilii diem, vsque ad id tempus quo illius initium fiet, singulis diebus collecta de spiritu sancto in Missæ sacrificio dicatur.

Missa autem de eodem feria quinta celebretur, & supplicationes item fiant statis diebus ad præscriptum illius Concilii IV. Vbi autem Concilii initium factum erit, in omni ecclesia prouinciæ, cathedrali & collegiata, stata solennisque Missa, quæ pro Concilio dicitur, quinta quaque feria celebretur; aliis autem feriis collecta pro Concilio a

ANNO
 CHRISTI
 1582.

singulis sacerdotibus in Missa pie recitetur. Cum vero Concilii prouincialis dies instat, oratio sine intermissione, quæ a clero & a regularibus & a monialibus religiose ob eam causam fiat in ciuitate, instituat.

Idem in tota diœcesi præstetur: ita vt instituta quadam parochiarum regionumve vicissitudine, in primaria ecclesia clerus populusque Concilii causa Deum pie oret.

Hæc ipsa omnia & singula de oratione vt præstentur, in sua quisque ciuitate & diœcesi episcopus curet.

Vbi primum operante Domino Concilii prouincialis initium decreto ob eam causam promulgato rite factum erit, tunc hymnus, Te Deum; a choro cantoribusve pie concinatur. Vbi præterea in aliqua sessione constitutiones decretave noua de more promulgata erunt, episcoporumque assensu a metropolitano comprobata; tum chorus concinat etiam hymnum, Te Deum; &c.

Singulis festis diebus, dum Concilium prouinciale habetur, solenni ritu ab aliquo episcopo Missa celebretur; cui reliqui episcopi ordine confidentes intersint; & concio præterea synodalibus actionibus accommodata, ab eodem aliove episcopo habeatur.

Festo item die, dum Concilium habetur, episcopi frequentes ad vesperarum diuinum officium conueniant, sacraque tractationi intersint, quam metropolitanus vel alius episcopus habuerit.

Quo tempore Concilium prouinciale celebratur, clerus populusque Mediolanensis, quo frequentiori pietatis studio prouinciales actiones adiuuet, septem stationales ecclesias instar basilicarum vrbis Romæ, a pontifice Gregorio XIII. indulgentiarum dono ornatas, ex certa parochiarum vicissitudine, quam archiepiscopus præscripserit, supplicationibus obeat.

Dum item Concilium habetur, in hebdomada quotidie, aut saltem tribus diebus sacrae conciones in ecclesia metropolitana primariave habeantur, quibus explicetur in primis omnis disciplinæ Christianæ ratio.

Singulis Concilii diebus clerus ciuitatis in capella ædium archiepiscopalium clericales aliquas studiorum exercitationes ineat ad præscriptum archiepiscopi.

De ecclesiastica disciplina certis partibus distincta or-

dineque disposita, orationes Latinas & frequentes ecclesiastici homines habeant, quibus ille iusserit.

ANNO
CHRISTI
1561.

Disputationum etiam de clericalibus disciplinis studiisque cursum pene assiduum eo tempore teneat: aliasque eius generis exercitationes habeat ex præscriptis rationibus.

Triduo præterea, stas scilicet illis feriis congregationis publicæ, in eadem capella explicatio disciplinæ clericalis, quæ in certas partes distributa sit, a perito sacerdote, quem archiepiscopus elegerit, toto Concilii tempore quam diligentissime habeatur, adhibeaturque ob eam rem cohortatio eius generis grauissima: cui cohortationi & explanationi clerus omnis vrbani interfit. Ut autem omnis episcoporum familia Concilii tempore studiose vtiliterque occupata sit; quo tempore congregatio habeatur & mane & vesperi a theologo metropolitanæ ecclesiæ, aut ab alio quem archiepiscopus delegerit, psalmi, vel aliæ sacrarum literarum partes studiose explicentur: cui explanationi atque interpretationi familiæ episcopales præsententur attente adsint.

Quotidie Concilii tempore dimissa congregatione, vesperi ad capellam inde episcopi frequentes veniant ad orationem vespertinam.

Concilio rite absoluto & dimisso, metropolitanus vnumquemque episcopum, qui ad se salutandum aduenit, discedentem sancto osculo pacis dimittat, eiusque orationibus & precibus sese intime commendat.

E Concilio cum ad stationem episcopalem episcopus redibit, paulo ante quam itineri se committat, ad ecclesiam metropolitanam primariamve veniat, vbi paulisper oret.

Synodalium testium, qui constituto Concilii tempore a metropolitano in vnaquaque prouinciæ diœcesi de more electi pronuntiabuntur, si qui absunt, nomina literis edantur & consignentur; quibus literis ipse metropolitanus, episcopo cuius diœcesis causa nominati ac delecti sunt, potestatem faciat adstringendi illos iureiurando, quod certis conceptis verbis ex decreto Concilii prouincialis IV. ab iis præstari oportet.

Idepiscopus vbi e Concilio ad stationem episcopalem

redie-

ANNO
CHRISTI
1582.

redierit, duorum mensium spatio exequatur: deque re ea accurate præstita metropolitanum per literas eo tantum nomine scriptas certiore faciat.

Testium vero, qui vel metropolitanum in Synodo prouinciali, vel episcopo ex illius auctoritate delegata iusurandum præstiterunt, nomina a cancellario fori episcopalis certo libro eius iussu notentur.

Si quando testis synodalis a metropolitanum in Synodo prouinciali delectus, qui iuratus in aliqua prouinciæ diocesi officium illius suscepti muneris gerat, antequam Concilii proxime futuri dies indicta venerit, diem suum obierit: episcopi cura sit de illius obitu metropolitanum certiore facere, qui alium in illius locum eligat; qui ex verborum formula concepta etiam iuratus, illius muneris partes in illa diocesi testis synodalis officio, caritatis zelo, sinceroque debita sollicitudinis studio strenue in Domino profequatur.

Episcopus testi synodali ad Concilium prouinciale venienti viaticum sumptusque victui necessarios a clero aliquot ante constitutum Concilii tempus diebus contribui ex Synodi prouincialis quartæ præscripto iubeat; aut alia ratione quam potiore censuerit, pecuniam eo nomine necessariam, quæ postea, vt ex illa contributione mutuanti restituatur, quamprimum curet, ne viatici difficultate impeditus, vllam veniendi moram interponat, sed ad constitutum tempus in Concilio præsens adesse possit.

Quoniam non solum ad huius prouinciæ commodum, sed ad rectam quamdam disciplinæ Conciliis prouincialibus decretæ exequendæ rationem valde interesse potest, si quæ his ipsis Conciliis constituta sancitæ sunt, pro subiecta materiæ ratione certis titulis ordine distincta (cum iam quinque libris, prout quinquies itidem eorum Conciliorum celebritas acta est, varie dispersa sint) in vnum volumen colligantur: ideo metropolitani cura & auctoritate, vt alia editio omnium vsui accommodatior sit; illa quæ iis quinque libris continentur, quæque in hac sexta Synodo sancitæ sunt, recte, prout materiæ quæ agitur, quæque tractatur, ratio postulat, disposita, (salua tamen vniuscuiusque constitutionis & decre-

ti prouincialis sententia) vno volumine contextantur, atque ita ordine contexta quam diligentissime edantur.

ANNO
CHRISTE
1582.

*Quæ ad Synodum, & congregationes synodales
pertinent.*

IVDICES, & examinatores in Synodo diocesana constituti, etiam, si quando longius quam vnius anni spatium Synodi actio differatur, suum munus exequantur.

Indulgentia, cuius etiam literæ in vltima parte huius Concilii editæ sunt, congregationis nomine concessa, singulis mensibus a sacerdotibus foraneis ex decreto prouinciali in singulos menses euulgetur, quo die Missa illius congregationis celebratur.

Quæ ad beneficiorum collationem pertinent.

IN beneficiis etiam parochialibus iuris patronatus laicorum simul, ecclesiasticorumque hominum, illud episcopus seruet atque exequat, quod de beneficiis quæ iuris patronatus ecclesiastici sunt, Concilii Tridentini decretis cautum est.

Idipsum quoque præstet, etiam si ex vna parte ad ecclesiam, & vero ex duabus, ad laicum hominem electio spectet.

Episcopus quoque, beneficiorum, quorum institutionis ius collationisve ad quoscumque exemptos aliosve episcopo inferiores pertinet, ius patronatus, lites, causas, & controuersias omnes quæcumque sint, cognoscat & definiat; Clericum autem præsentatum, qui instituendus erit, ad inferiores institutionis tantum causa remittat; nisi iidem inferiores iurisdictionem ordinariam haberent, cuius vigore de controuersis super iure patronatus alioqui cognoscere possent.

Beneficia quæcumque sint, etiam parochialia, quæ per cessionem vacant, episcopus ne suo, aut cedentis confanguineo, nec vero item suo familiari conferat prouideatve, vt Pii V. pontificis apostolica sanctione vetitum est.

Nec vero alicui familiari propinquo ve suo ad illius beneficii concursum aditum patefieri permittat: quod si aliter vnquam factum erit, cum omnis collatio prouisione rescissa, irrita, nullaque sit, tum præterea illius pontificiæ sanctionis poenæ eo nomine constitutæ locum habeant.

*Quæ ad forum pertinent.*ANNO
CHRISTE
1581.

STATATA illa oratio, quam in Synodis de Spiritu sancto dici solenne est, illa scilicet cuius initium est, Adsumus Domine; rite sancteque, vt liber pontificalis vetus ostendit, congregationum initio recitetur, quæ de sanctæ inquisitionis officio, de iudiciis, de sententia causæ ferenda habebuntur. Itidem fiat in omni Conuentu vbi de clericalibus examinibus, de electione, institutione eius agetur aut deliberabitur, in quem alicuius beneficii ecclesiastici cura administratio conferatur.

Quam ob causam ea oratio recte in tabula literis consignetur: certoque congregationum loco affixa, cum vsuuenit, in promptu sit, vna cum alia statata oratione, quam in initio & in fine aliarum actionum congregationumve ex officio beatæ Mariæ adhiberi instituti morisque est.

Æquissimum est, & Canone Concilii Parisiensis traditum, eum qui vicariam episcopi personam & munus vicarium sustinet, sacris initiatum esse.

Quamobrem curet episcopus vicarium generalem sibi constituere, qui præter cetera quæ in vicarii eiusmodi persona requiruntur, saltem subdiaconus sit.

Quoniam sæpe fit, vt in causarum controuersis (id quod vir & sanctitate & iuris scientia celebris Iuo pluribus exponit) inimicitia orientur, similtates, odia, rixæ, ceteraque id generis, quæ maxime fideles cauere debent, valde exercentur, & multa eaque graua crimina inde aliquando consequuntur, ac rursus bona salutaria opera postponantur, aut negligantur: ideo in foro ecclesiastico, in quo concordia potissimum, paci, litium transactionibus, atque sedationibus controuersiarum plane consulendum est, episcopus eam inerat rationem, vt vicarii aut iudices fori sui, aut alii ecclesiastici homines, quos ei curæ præferat, antequam litis reive alicuius iudicium constituatur, studeant omni æquitatis officio paternoque consilio lites dirimere, controuersias sedare, quæ ad eam rem facilius conficiendam, factum de quo controuertitur, ab ipsis litigantibus, seorsum singulis ad se vocatis, studeant plane intelligere, quantum quidem commode fieri poterit, etiam remotis vtriusque partis aduocatis & pro-

curatoribus: sin autem id assequi non poterunt, id saltem curent, vt lites breuius quam in foro laicali moris est, definiantur.

Locum vero nullum patronis, aduocatis, procuratoribus, ceterisque litium ministris dent aut relinquunt, qui quæstus forensis auidi atque appetentes, causas prætexunt, calumniasque adhibent, tum ad causarum transactionem impediendam, tum ad exulcerandos litigantium animos.

Istorum etiam malitiam episcopus pœna priuationis suspensionisve officii postulandi & procurandi in suo foro, aliisve pœnis suo arbitratu pro sua conscientia coerceat, etiam sine vlla iudiciali causâ cognitione.

Quicumque in dignitate ecclesiastica constituti, etiam exempti qui intra fines diœcesis sunt, & reliqui præterea inferiores episcopo, ne priuilegiorum, consuetudinive prætextu, matrimoniorum, & criminum item causas etiam visitando cognoscant; sed episcopi iurisdictioni iudiciove relinquunt, ad præscriptum Concilii Tridentini.

Non tamen abbates, quibus alias legitime talis iurisdictionio competit, aliisve inferiores (si de immemorabili consuetudine eiusmodi legitime doceant) quo minus de his etiam causis cognoscant prohibeantur.

Constitutio decretorum & taxarum a metropolitano confecta, & apostolicis literis sanctissimi domini nostri Gregorii papæ XIII. confirmata & renouata, quæ per iudices synodales, & conseruatores regularium exemptorumve quorumcumque, & per ordinarios etiam in causis delegatis, ac per eorum omnium & singulorum notarios seruanda, atque ad executionis vsum inducenda est, ab vniuersis, & eorum vnoquoque cuius interest, seruetur diligenter inuiolateque: ita tamen vt si quibus in rebus, causis, negotiisve, aliquo statuto aut consuetudine laudabili, nihil vel minus quam ea taxa præscribitur, per iudices a Synodo deputatos, ac regularium exemptorumve quorumcumque conseruatores exigi deberet; consuetudo illa statutumve omnino retineatur, serueturque ad eiusdem constitutionis præscriptum.

Quam item constitutionem seu taxam iudicibus syno-

ANNO
 CHRISTI
 1582

dalibus & conseruatoribus præscriptam, feruet etiam ordinarius: nisi quibus in rebus consuetudine, decretis, vel constitutionibus, taxisve episcopalibus, taxa minor ei seruanda proposita esset, quam omnino feruet.

Si vicarius, iudexve ordinarius in causis ordinariis vel delegatis, aut conseruator regularium & exemptorum quorumcumque suis in causis, aut iudex in Synodo deputatus pro causis commissariis, eorumve notarii aut ministri, quicumque contra præscriptum sanctionis illius pontificæ quidquam commiserit, deliqueritve; cum eo, quicumque sit, ad præscriptum eiusdem constitutionis agatur.

Dierum vtillum librum, quibus a fori sui ecclesiastici iudiciis feriari liceat, episcopus conficiendum edendumque pro fori sui ratione curet.

Vt frequentius clericorum cuiuscumque gradus & ordinis, quos in foro sæculari concessu episcopi examinari sæpe contingit, periculis occurratur, episcopus, eiusque vicarius, antequam eius examinis facultatem concedat, rerum de quibus in eo foro interrogationes quæstionesve instituendæ erunt, capita diligenter & matura deliberatione perpendat.

Clericum præterea de cuius examine agitur, ad se, si libuerit, accersat, ac de iisdem rerum capitibus extra iudicium interroget. Illud autem magnopere caueat, ne dum vnus defendendi causa, quæstiones examenve de clerico haberi permittit, alteri aliquam vel rei familiaris, vel pecuniæ, vel corporis, vel status, honorisve offensionem aut diminutionem afferat: vnde cum sæpenumero simultates & cædes existunt, tum clericus etiam aliquando irregularitatis pœnam maculamve contrahit.

Quarum rerum si aliquam episcopus suspicionem ex iis ipsis capitibus cognouerit, de quibus quæstio instituenda est; nullam clerici examinandi facultatem vlllo modo permittat.

Vbi vero illam aliquando dandam esse iudicauerit: tunc certis capitibus nominatimque explicatis, iudicio suo præscriptam, literisque comprehensam concedat permittatve.

At vero semper clerico a sacerdote iururandum deferri iubeat.

*Quæ ad matrimonium pertinent.*ANNO
CHRISTI
1582.

QVOD Concilio prouinciali quinto cautum est, matrimonium verbis de præfenti sine parochio testibusque contractum nullum esse, ac ne sponsalium quidem vim roburque habere: id ita intelligendum est; eos qui ita contraxerint, posse tamen Concilii Tridentini conditionibus adhibitis, denuo matrimonium contrahere, dummodo intra parochiæ fines, & coram parochio proprio, testibusque illud contrahatur celebreturve.

Matrimonium futurum parochus antequam in ecclesia denuntiet, præter id, quod ex Concilio prouinciali quinto perquirere a sponsis debet, illos etiam seorsum moneat; vt videant, ne matrimonio quod inter se contrahere volunt, aliquod impedimentum obstet, quod mox infra explicatum est; neve alia, quæ ipse pro suo iudicio & prudentia patefacere exprimereque debebit. Viderint igitur, an alteri fidem adstrinxerint, aut iureiurando sponderint.

An castitatis religionisve votum ediderint.

An aliquod impedimentum inter eos intercedat cognationis etiam spiritualis aut affinitatis vsque ad gradum iure Tridentinoque Concilio prohibitum.

Si vero filii familias sint, hoc parochus valde cohortetur; vt parentibus, in quorum potestate sunt, eum honorem tribuant, vt illis ne insciis quidem, nedum inuitis, rem tanti momenti ineant.

Id præterea studiose paterneque etiam vtrumque hortetur; vt singulari quadam animi pietate, & oratione in primis frequentiori, in re tam graui ad Deum confugiant.

Quo in genere Tobix adolescentis, cum vxorem duxit, commemorabile exemplum imitationeque dignum proponat.

Magnam in eo diligentiam adhibuimus, vt corruptelam atque adeo peccatum tolleremus, atque radicitus extirparemus, quod passim in prouincia nostra a sponsis committitur; qui mutua copulatione antea vtuntur, quam matrimonium per verba de præfenti rite confectum celebratumque sit. Verum cum nihil ferme in hoc genere hactenus profecisse animaduertamus; pro officii pastoralis

ANNO CHRISTI 1582.
 munere, pernicioſa iſti corruptela peccatoque graui nos diligentius accuratiusque prouidendum & conſulendum eſſe ſtatuímus.

Itaque epiſcopi cura ſit, pœnis & cenſuris, quas arbitratu ſuo conſtituerit, ſancire, ne ſponſi, priuſquam matrimonium in eccleſia per verba de præſenti ex ritu celebrauerint, non modo ſimul non habitent, ſed ne vlllo quidem modo mutua conſuetudine commercio vtantur.

Graue concubinatus crimen eſt, proptereaque quam ingens in eo funditus conuellendo ſolicitudo, & quam longe omnium diligentiffima cura epiſcopi eſſe debeat, cum Canonum leges, ſacrique œcumenici Concilii Tridentini decreta iubent, tum vero Pii quinti pontificis maximi apoſtolica ſanctio iampridem edita perſpicue oſtendit.

Qua ſanctio ſanctæ obedientiæ virtute illud iuſſum eſt, vt quæ contra concubinarios eiufdem Concilii Tridentini decretis conſtituta ſunt, in iis iſtis omnino inuiolateque exequendis, epiſcopi in ſua quique diœceſi diligenter ſanctæque inuigilent; Deo Romanoque pontifici rationem reddituri, ſi in eo turpi crimine radicitus extirpando negligenter aut remiſſe ſe geſſerint.

Quamobrem epiſcopus, nemine etiam poſtulante aut accuſante, ex officio, ſine ſtrepitu & forma iudicii, ſolaque facti veritate inſpecta, contra iſtiusmodi concubinarios, cuiuſcumque ſtatus, ordinis, dignitatiſque illi ſint, ſeuere agat: proindeque pœnis ſacrorum Canonum iure, ſummorum pontificum conſtitutionibus, Conciliorumque auctoritate ſancitis, & aliis præterea etiam pecuniariis arbitrio ſuo grauiter puniat.

Quos autem ter admonitos in contumacia perſiſtere animaduertet; eos non ſolum aliis pœnis, ſed excommunicatione etiam ex eodem decreto Tridentino afficiat.

Pæſtoribus non ſolum pericula propellenda ſunt; ſed etiam omnis periculofa peccandi occaſio pro pæſtoralis officii munere eripienda eſt.

Quamobrem cum quæ facile exiſtere poſſent fornicationes, inceſtus, & flagitia, vniuerſaque carnis vitia, re alia plane nulla facilius quam fuga, adiutrice in primis diuina gratia, ſuperentur; parochus vt diligentiffime poterit, &

episcopus in primis, tum auctoritate sua, tum etiam, si opus erit, sæcularis magistratus ope implorata, id maximopere curet, vt ne cum femina, quocumque vel arctissimo propinquitatis gradu coniuncta, mas simul cubet, etiam si ambo puerili ætate sunt, ita tamen grandiusculi, vt aliqua inde suspicio, periculum, occasiove impuri flagitii committendi existere possit.

Nec vero paupertatis, angustæve habitationis excusationi locus facile relinquatur, quo minus istiusmodi impuritatum occasio omnis præcidatur: cum humi potius, atque adeo sub dio iacere satius esset.

Parochi autem tota hac de re iudicium, officiumve intercedat: qui & consilium det, & opem præsentem vt accuratissime potest, tantæ impuritatis periculo præstet.

Eam ipsam curam episcopus & parochus ponant in eripiendis morum corruptelis, flagitiis, peccatis, peccandive occasionebus, quæ grauissima cum Dei offensione existunt ex nocturnis illis excubiis, quæ rusticorum concursu, iuuenili turpium verborum licentia, promiscua marium feminarumque turba, hieme in stabulis passim fieri solent.

Offensionibus & peccatis, quæ in cauponis committi solent, pastoralis etiam cura & officio occurrendum est; vt ereptis corruptelis salutariter consulatur vitæ Christianæ moribus.

Quamobrem cum episcopus, cuius officium est in omnium cuiusuis generis hominum curam incumbere, tum parochus etiam, si quas vel cauponas vel tabernas intra parochiæ suæ fines habet, quam sapissime iis qui cauponariam tabernariamve exercent, monita proponat, quæ infra eorum vitæ Christianæ, Christianisque moribus præscribuntur, ad eorum salutem procurandam.

Primum igitur caupo, non solum familiæ suæ, sed etiam hospitibus, peregrinis, aliisque quos hospitio exceperit, & verbis, & vitæ exemplis, & humanitatis officii prodesse studeat: ita vt eius familia, quique in famulatu ipsius sunt, ceteris pietatis, castitatis, modestiæque specimen atque indicium dent.

Proinde impudicos homines, eiusve infamiæ nota inquinatos, blasphemos, concubinarios, eiusve nomine suspectos,

ANNO
CHRISTI
1582.

ſpectos, aleatores, publicosve luſores, & id generis nebulones, qui aduenas atque hoſpites dolis fallaciisque decipere ſolent, e familia domoque ſua eiiciat: quorum loco in familia famulatuque pios homines diſciplinæ Chriſtianæ ſtudioſos habeat; qui aduenas ad orationem veſpertina inuitent, quam is domi ſuæ curet nullo vnquam pacto ſta-
ta hora prætermitti.

In cauponæ veſtibulo porticuue, & in ſingulis præterea cubiculis, ſacram imaginem apponere ne omitat: profana autem omnia, ac turpiter obſcœneque inſcripta pictave inde amoueat omnino.

Ne lenones, meretrices, hiſtriones, mimos, & ceteros malæ conditionis homines, nugatoresve apud ſe diutius hoſpirari patiatur.

Religioſos & eccleſiaſticos homines ad ſe diuertentes, ſeparato, ſi commode poterit, præſertim a feminis, hoſpiti-
tio menſaque excipiat: in honore habeat, nec verbis factiſve violari patiatur.

Pauperibus item ſe talem præſtet, qualem ſe præbere Chriſtianum hoſpitem decet. Hæreticos vero, ſi quos diuertiffè animaduernerit, illico denuntiet; nec vlllo pacto feria ſexta & ſabbato, aliis item præſcriptis diebus, vlli ve-
titos cibos quouis prætextu præbeat.

Menſæ initio, ab hoſpite, vel ab aliquo familiari benedici curet, adhibita in fine etiam gratiarum actione.

Ne virum ſimul & mulierem cubare ſinat, quos ſuſpicietur matrimonio copulatos non eſſe.

Si quem, dum in caupona verſatur, in febrim morbumve incidere contigerit, de eius ægritudine ſtatim parochum certioſorem faciat, qui illum inuiſat, & ſpiritualia remedia eidem quamprimum adhibeat.

Caupo denique Chriſtianus ita in hoſpiti-
ii munere agat, vt æquitate, ſinceritate, & caritate vtatur; & per opera iuſtitia progrediens, damnationem æternam fugiat, ac in æterna tabernacula recipi mereatur.

De diſciplina Chriſtiana militum.

CHRISTIANORVM militum diſciplina his temporibus eo prolapſa eſt, vt in multis Dei offenſionibus, quæ a militum corruptelis exiſtunt, operæ precium etiam ſit inuigilare epiſcopalibus monitis.

Concil. Tom. 36.

D d d d

Vbi igitur militum præsidium constitutum est, illud cum eorum ducibus præfectisque episcopus studiose paternaque caritate agat, ut illi in militari statione constituti, piæ Christianæque vitæ institutis congruenter viuant: cum præsertim in militum Christianorum laude positum sit, ut pietatem in primis & religionem erga Deum obseruent atque colant.

Quod ergo ad pietatis usum atque officium attinet, id omne maxime curetur:

Vt doctrinæ Christianæ rudimentis milites recte instituantur.

Vt frequenti sacræ & confessionis & communionis usu se ad bene viuendum communiant.

Vt quotidie & mane & vesperi certa stata hora Deum precentur.

Vt rosario quotidiano beatæ Mariæ virginis, quod militibus bello contra Turcas suscepto olim præscriptum fuit, religiose vtantur.

Vt singulis diebus mane in statione communi collecti litanias recitent.

Vt in stationis loco sacram imaginem beatæ Mariæ virginis, aut sancti alicuius, quem patronum sibi atque intercessorem in cælis delegerint, ob oculos propositum habeant.

Vt sacerdotem item habeant spiritualis vitæ amantem, episcopi iudicio delectum, cuius monitis in militiæ spiritualis exercitationibus cursum teneant.

Vt in otio militari, a librorum obscœnorum, quique Christianos viros non decent, lectione abstineant; sed martyrum vitis legendis, in quibus fortitudo ac virtus vere militaris elucet, totos sese occupent, cum per occupationes militares possunt.

Illud vero etiam maxime episcopus cum militum præfectis valde agat, ut ieiunia & ciborum delectum ex præcepto ecclesiæ seruent; a blasphemis omnino abstineant, quas radicitus extirpare ille omnino conetur: cum militis Christiani officium proprium sit, etiam sanguinis profusione tueri gloriam Dei, sine cuius diuina ope nihil reliquum militi Christiano est, quod gloriosum esse possit.

Vt a furto, rapinisque abstineant; idque plane eis persua-

ANNO
CHRISTI
1582.

deat, eius generis criminibus per perpetuam infamiam inuri militi.

Vt denique detractiones, mendacia, inglutuiem, aleam, luxuriam, pompamque abhorreant: sed etiam omnes virtutum Christianarum partes exequantur, quo cum in omni disciplina, tum in re militari splendescunt, vtilitatesque vberimas salutariter afferunt.

Atque ob has quidem causas inter illos pias confratrias instituere episcopus curet.

Quæ ad confratrias, piæve loca pertinent.

VNICVIQVE confratriæ episcopus sacerdotem constituere studeat, vitæ spiritualis vsu peritum, beneque in sanctis exercitationibus versatum; qui salutaribus consiliis, monitis, documentis, aliisque officiis, confratres in omnem agendi partem tamquam pater & dux spiritualis conformet.

Vt multarum controuersiarum, dissensionumve, quæ in plerisque confratriis, ex eo quod priorem locum appetunt, multis prouinciæ locis magna cum populi offensione oriuntur, occasio tollatur; Nos decernimus, eas confratrias, earumque confratres scholaresve, qui in posterum locum in publicis processionibus, sumpto de episcopi aut sanctæ sedis apostolicæ facultate habitu, sibi dari petierint, atque obtinuerint, debere locum digniorem aliis confratribus cedere, qui habitu antiquiores consueuerunt illas supplicationes antea obire; etiamsi ipsæ tempore antiquiores sint, maioribusque priuilegiis communitæ.

Id vero ita decretum in omni confratria seruetur, nisi cum ob causam episcopo aliter videbitur.

Quæ ad sanctæ pietatis institutum atque vsum salutariter instituta sunt, pastoralis curæ est cauere, ne deprauatis moribus corrumpantur.

Quoniam igitur in processionibus, quæ a nonnullis confratriis societatibusve noctu fiunt, religiose quidem illis primum institutis, offensio aliqua inesse potest: idcirco ne illas in posterum noctu agi liceat, nisi & episcopi concessu, & regulis certis ab eo præscriptis.

Mulieres autem processionibus nocturnas obire interdictum omnino sit.

Episcopus non solum, vt superioribus Conciliis cautum est, locorum piorum administrationis rationibus interfit, sed etiam liberationi illius administrationis.

Quæ liberatio ab eorum locorum præfectis solum ne fiat, sed præsentem, consentientemve episcopo; alioqui si secus fiet, rescissa sit, planeque nulla, ad Tridentini Concilii præscriptum.

Quæ ad moniales pertinent.

QUONIAM superioribus Conciliis provincialibus, non satis quantum rei grauitas deposcit adhuc monialium periculo consultum ac prouisum est; quod cum ex frequenti ad earum monasteria accessu, tum ex ingressu etiam septorum clausuræ existere potest: idcirco eo de genere hæc addenda censuimus.

Vt autem hæc ipsa notoria sint, edicto episcopali duorum mensium spatio, & deinceps quotannis, sermone vulgari frequenter, prout opus erit, populo promulgari, singulisque præterea monialium monasteriis, earumque præfectis edici denuntiarive episcopus mandet.

Ne quis clericus, laicusve, cuiuscumque generis, ordinis, conditionis, sexus, ætatisve sit, absque episcopi aut eius vicarii concessu literis exarato, ad monialium monasteria quouis prætextu, causave, ac ne eo quidem nomine inuisendi, alloquendive puellas tantum, quæ ibi educantur, vnquam accedat, propositis pœnis & censuris arbitrio episcopi.

Ne quis item absque eiusdem episcopi facultate scripta, intra septa monasterii monialium in posterum ingredi audeat.

Si quis contra fecerit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat, ex Concilii Tridentini, apostolicarumque sanctionum, quas summi pontifices, Pius quintus, & Gregorius decimustertius, eo nomine ediderunt, præscripto.

A qua excommunicatione non ab alio nisi a summo pontifice Romano absolui possit.

Neque in posterum aliquis ecclesiasticus secularis, regularis, aut laicus, quocumque gradu, auctoritate, dignitateve præditus, cuiquam homini ecclesiastico, etiam regulari aut laico, facultatem ad monialium monasteria ac-

ANNO
CHRISTI
1582.

cedendi, ne colloquendi quidem gratia concedat: nec vero monasterii septa ingrediendi potestatem faciat, quavis consuetudine, statuto, lege, priuilegiisue, etiam sedis apostolicæ auctoritate ante Concilii Tridentini promulgationem roboratis & communis non obstantibus.

Si quis contra commiserit, pœnam excommunicationis ipso facto subeat, aliasque arbitrio episcopi.

Abbatissæ, priorissæ, & aliæ moniales, quæ ecclesiasticos, aut laicos homines quavis causâ, prætextuue intra monasterii septa absque episcopi concessu literis consignato ingredi permiserint, ipso facto excommunicationis pœnam subeant; a qua e sanctionis sanctissimi domini nostri Gregorii papæ XIII. præscripto, non possint nisi a summo pontifice absolui, præter alias pœnas eadem constitutione propositas.

Quæ vero moniales absque episcopi concessu scriptis exarato, quemquam vel marem, vel feminam, contra quam supra præscriptum est, ad colloquutionum, rotarumve loca admiserint, biennio mulctatæ sint suffragio omni.

Si vero iterum in hoc genere deliquerint, arbitrio episcopi puniantur; tum deinceps si itidem offenderint, excommunicationis etiam pœnam ipso facto subeant.

Præfecta autem monasterii, facultates omnes scriptas, quas vnusquisque exhibuerit, siue de accedendo ad monasteria, siue de ingrediendo illæ sint, accurate asseruet; episcopoque clausuram visitanti, & alias quoties postulabit, exhibeat, vt eas cum libro, quod regeſtum nuncupatur, conferre possit.

Episcopus autem, cum clausuras monialium, etiam earum quæ regularium curæ, iurisdictionique subiectæ sunt, visitabit; de clausuræ custodia, & decretorum, quæ ad eam recte tuendam quouis modo pertinent, vsu atque obseruatione, moniales etiam singulas, vt opus esse viderit, diligenter interroget.

Colloquutionum loca in monialium monasteriis tam intrinsecus quam extrinsecus constituta, clauis clausa perpetuo sint, nisi cum ibi quis est colloquutionis causa, ex facultate legitima: clauis autem apud præfectam custodiatur.

Vt autem quod de vetito ad monialium monasteria accessu cautum est, certis diebus vere seruetur; clavis etiam adhibeatur ostio loci exterioris collocutionum in monasteriis: quæ clavis noctu præsertim ab episcopo committatur confessario, aliive pio viro arbitrato suo.

Is vero illis diebus ne aperiat, neve clauem aperiendi causa tradat, nisi facultatem episcopi scriptam exhibenti.

Quo autem sanctior huius clausuræ cautio adhibeatur; episcopus, ubi expedire censuerit, pessulum, vectemve ostiis singulis clausuræ ab exteriori parte claudendum apponi mandet arbitrato suo, clauemque noctu præsertim ei committat, quem fidum, probum, aptumque esse iudicabit.

Occasione correctionis, pœnitentiæ, seu examinis, in causis etiam criminalibus & grauioribus, monialis clausura ne educatur, etiamsi in aliud monasterium, locumve pium, conducenda, ne ad breue quidem tempus.

Facultas ingrediendi septa monasterii nulla detur nisi in scripto; neque vero quæ sine scriptis concessa est, cuiquam suffragetur, nisi quando vna cum episcopo is monasterium ingreditur.

Episcopus autem solummodo, at nullo modo vicarius generalis, hanc potestatem faciat, nisi speciatim ei episcopus auctoritatem delegarit, qua aliis ingrediendi facultatem dare possit; atque episcopus quidem eam auctoritatem minime alii demandet, nisi vicario tantum generali; ac neque ei item, cum ipse præsens est.

Regulæ, constitutionesve speciatim editæ de pœnitentibus mulieribus, quæ professionem emittunt, seruentur; ne in iis recipiendis consensus duarum partium monialium requiratur, vt Concilio prouinciali primo sancitum est, (id quod in aliis solum monialibus locum habere hoc loco declaratur) sed maior pars satis sit etiam in professione emittenda.

Nec vero in earum mulierum domiciliis certus numerus constituatur: nec rursus in iis locum habeat, quod de eleemosyna loco dotis alimentive, eiusque summa & additione in monialium monasteriis præstari decretum est; sed illud in necessariis alimenti expensis erogetur: reliquum autem in alias monasterii necessitates, aut in bo-

ANNO
CHRISTI
1582.

norum immobilium emptione arbitrio superioris conuertatur.

Iis mulieribus liceat professionem emittere, ea ætate, eoque temporis probationis spatio, quibus iure communi licet, aut earum constitutionibus speciatim cautum est.

In earum præterea renuntiatione & obligatione, constitutiones earum, & earum superioris, aut ius commune seruetur.

Neque nouitiæ, si quid in anno probationis dederint, mulieresve acceperint, pœnis plectantur, nisi speciatim aliter caueatur.

Mulieres item, quas absoluto probationis anno non habiles esse, neque idoneas ad professionem compertum est, aut si profiteri illæ recusauerint, e monasteriis nisi causis iure permissis ne eiiciantur.

Verum episcopus probationis, nouitiatusque tempus proroget licet.

Nec vero item quæ mulieres habiles non sunt ad officium, velumque nigrum suscipiendum, etiamsi domus illa conuersis opus non habeat, contra institutum repellantur.

Episcopi & prælati omnes tam sæculares quam regulares, quibus monasteriorum monialium quouis modo cura concredita est; facultate sibi ex officio data in ea ingrediendi ita demum vtantur, vt scilicet cum necessaria causa vrget, ingrediantur, paucosque comites, & eos quidem seniores ac religiosos homines secum adhibeant: ne pœnas ac censuras Gregorii papæ XIII. summi pontificis constitutione ipso facto inflictas subeant, quam constitutionem accurate seruent.

Quæ generatim ad has constitutiones & decreta pertinent.

QUÆCVMQVE etiam de sacramentorum administratione, Missæ sacrificii celebratione, diuinorumque officiorum modo & ratione, in hac & superioribus prouincialibus Synodis decreuimus, ea plane omnia & singula ad metropolitanam etiam, ceterasque quascumque ecclesias ritu Ambrosiano vtentes, pertinere sancimus & declaramus: nisi si quid eiusmodi erit, quod vel per nos, vel

deinceps per successores nostros archiepiscopos nominatim, speciatimque declaretur Ambrosianis ipsis ritibus institutisve expresse aduersari.

ANNO
CHRISTE
1582.

Si in his decretis ante alteram Mediolanensis prouinciæ Synodum vlla difficultas orta erit, eius declarationem, tum vero præterea omnium quæ eisdem decretis continentur interpretationem & explicationem, nobis vsque ad proxime futuram prouincialem Synodum referuamus; salua semper sedis apostolicæ auctoritate.

Quamcumque facultatem ex decretis in hac prouinciali Synodo Mediolanensi sexta per nos editis habent episcopi; eam ipsos per suos vicarios generales, aut per alios quibus concefferint & delegarint, exequi posse volumus; nisi in iis quæ proprie ad ordinem episcopalem pertineant, aut in quibus vicarii a sacris Canonibus, aut a Concilio Tridentino, vel a nobis expresse exclusi sint.

Vt nemini eorum quæ in hac sexta prouinciali nostra Synodo a nobis decreta sunt, ignorantiam excusare liceat, edicimus, vt ex quo primum die de illis edictum promulgationis ecclesiæ metropolitanæ valuis propositum erit, ad duos menses omnes se & his decretis, & si contra fecerint, pœnis quæ eis continentur, teneri intelligant.

Ab eo etiam affixionis die eorum decretorum temporis initium sumendum decernimus, quibus aliquid intra certum tempus præstari iubemus.

Vnusquisque præterea episcopus ea in proxima diocesana Synodo, ad præscriptum sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini promulgari iubebit; & quo studiofius omnium animis eorum præcepta fixa inhæreant, singulæ etiam cathedrales, & collegiatae, & parochiales ecclesiæ huius prouinciæ has nostras constitutiones aliquo loco collocatas perpetuo asseruent.

Omnia & singula quæ a nobis in hac sexta prouinciali Synodo decreta actaque sunt, qua debemus obedientia ac reuerentia, auctoritati ac iudicio sanctæ Romanæ ecclesiæ omnium ecclesiarum matris & magistræ semper emendanda & corrigenda subiicimus.

SVBSCRI-

ANNO
CHRISTI
1582.SVBSCRIPTIONES REVERENDISSIMORVM
dominorum episcoporum, qui Concilio prouinciali
sexto interfuerunt.

Nos Carolus sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis tituli sanctæ Praxedis, Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus sanctæ ecclesiæ Mediolanensis, de consilio & assensu reuerendissimorum coepiscoporum nostrorum definiens subscripsimus.

Ego Cæsar episcopus Dertonensis consentiens subscripsi.

Ego Nicolaus episcopus Cremonensis consentiens subscripsi.

Ego Hieronymus episcopus Bergomi consentiens subscripsi.

Ego Ioannes episcopus Brixia consentiens subscripsi.

Ego F. Dominicus episcopus Astensis consentiens subscripsi.

Ego Guarnerius episcopus Alexandrinus consentiens subscripsi.

Ego Vincentius episcopus Albensis consentiens subscripsi.

Ego Franciscus episcopus Intimiliensis consentiens subscripsi.

Ego Alexander episcopus Cafalensis consentiens subscripsi.

Ego Vincentius Picalua archipresbyter opidi Cassinarum, procurator specialis illustrissimi & reuerendissimi episcopi Aquensis, eius nomine interfui, & subscripsi; & omnia & singula in hac sancta sexta Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, eius & ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Ioannes Paulus Albergonus canonicus ecclesiæ cathedralis Nouariæ, procurator specialis illustrissimi & reuerendissimi domini Francisci episcopi Nouariensis, eius nomine interfui, & subscripsi, & omnia ac singula in hac sancta sexta Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, eius & ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Paulus Granutius iuris vtriusque doctor, protonotarius apostolicus, perillustris ac reuerendissimi domini Ioannis Francisci episcopi Vercellensis sanctissimi domini nostri papæ & sanctæ sedis apostolicæ nunc apud serenissimum Rodolphum imperatorem nuntii vicarius generalis, eiusdemque in hoc specialis procurator, eius nomine interfui, & subscripsi, & omnia ac singula in hac sexta Synodo decreta, acta, edita, & publicata, eius & ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Ioannes Antonius Iordanus clericus Sauonensis, illustrissimi ac reuerendissimi domini Dominici Grimaldi episcopi Sauonensis, hoc tempore sanctissimi domini nostri papæ apud Auenionem gubernatoris, ad hoc specialis procurator eius nomine subscripsi; & omnia ac singula in sexta Synodo prouinciali Mediolanensi acta, decreta, edita, & promulgata, eius & ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Marcus Antonius Amidanus presbyter Cremonensis multum illustris & reuerendissimi D. Ludouici Tabernæ Laudensis episcopi; & nuntii apostolici ad serenissimum & Catholicum Hispaniarum regem Philippum generalis vicarius, ac ad id etiam procurator specialis, eius & ecclesiæ suæ nomine, omnia & singula in sexta Synodo prouinciali Mediolanensi acta, & decreta, edita, & promulgata recipio.

Concil. Tom. 36.

Eeccc

INDICTIO FUTVRI CONCILII
SEPTIMI PROVINCIALIS.

ANNO
CHRISTI
1582.

Carolus sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis tituli sanctæ Praxedis, sanctæ ecclesiæ Mediolanensis archiepiscopus, &c.

OMNIBVS & singulis reuerendissimis dominis episcopis Dertonensi, Aquis, Cremonensi, Bergomen-
si, Brixien-
si, Astensi, Alexandrino, Nouariensi, Vercel-
lensi, Alben-
si, Intimilien-
si, Casalensi, Laudensi, Sauonen-
si, Vigleuanen-
si, Placentino, Albingaunensi, aliisque v-
niuersis & singulis, qui Synodo prouinciali Mediolanensi
quacumque ratione interesse debent, omnibusque item
capitulis, & ecclesiarum cathedralium procuratoribus,
hoc publico decreto indicimus, significamus, denun-
tiamus, & intimamus proximam sequentem, Deo omni-
potente auctore, & ad eius laudem, hac eadem in vrbe, hoc
ipso loco, anno Domini MDLXXXV. die vigesimonono
mensis Aprilis, qui dies erit feria quinta dominicæ tertiæ
post pascha resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, in-
choandam & celebrandam esse. Quamobrem eos omnes
& singulos reuerendissimos dominos episcopos mone-
mus, procuratores vero ecclesiarum cathedralium inui-
tamus, vt eo die ad Synodum prouincialem septimam
iuuante Deo Mediolani celebrandam constituto, hic om-
nino interfint, nisi diem celebrationis ipsius Synodi aliqua
ex causa a nobis prorogatum fuisse nostris ad eos datis li-
teris intellexerint. Quod si ipsorum reuerendissimorum
episcoporum nostrorum aliquis legitimo tunc detentus
erit impedimento, nuntium procuratoremve ad se excu-
sandum, atque ad id impedimentum probandum ad nos
mittat: cui etiam facultas ab ipso detur, ea omnia & sin-
gula nomine suo & ecclesiæ suæ recipiendi, quæ diuina
gratia auxiliante in ipsa Synodo a nobis de consilio & af-
sensu reuerendissimorum coepiscoporum nostrorum
constituentur decernenturve.